



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Ex Prima Parte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CONTROVERSIAE SELECTAE
EX
VNIVERSA THEOLOGIA
S. THOMÆ AQUINATIS.
EX PRIMA PARTE.

CONTROVERSIA I.
EXISTENTIA DEI.

Quomodo Rationibus naturalibus Atheo ostendi possit.



Etiam si Adversarius in Praefatione sua monuerit, pro veritate pugnare sibi constitutum esse, tamen in primo conflictu videtur propositi sui fuisse oblitus: nam assertionem illam, quod fuerint possibiles generationes infinitae ab aeterno, quam ipse asseverat, à P. Haunoldo lib. 1. n. 19. falsò attribui Angelico Doctore, P. Haunoldus vel non attribuit S. Doctore, vel non falsò. Si enim propositio illa accipitur ab Adversario de possibilibus generationibus, ab aeterno sibi Succedentibus, tunc non attribuitur falsò; cum S. Thomas 1. p. q. 46. a. 2. ab ipso met. Adv. relatus, maximopere contendat, potuisse Mundum existere ab aeterno, & in illo dari generationes Infinitas successivas. Si autem intelligatur de possibilibus generationibus infinitis non successivis, sed simul existentibus, per modum causalitatis requisitae ad unum aliquem effectum, (prout ab Adversario intelligi patet ex thesi contextu, & duplici testimonio, quo illa ex Jo. à S. Th. & ex ipso S. Th. tanquã falsam improbat) tunc falsum est, quòd à P. Haunoldo attribuitur Angel. Doctore, cum expresse addat particulam successivas, dicens: Multorum est opinio post S. Thomam q. 46. a. 2. & Philosophum 8. phys. & 1. de Caelo. possibiles fuisse generationes NB successivas infinitas ab aeterno. Verum Adversarius militari stratagemate eliminavit particulam successivas ex verbis P. Haunoldi, & ideo ego debui primùm inquirere, quo sensu mutilata prior assertio ab illo intelligatur.

2. Nunc non aliam adhuc Vim Veritas à propugnatore suo passa sit, videamus: referam autem (cum bona Venia mei Venerandi Magistri P. Haunoldi, Viri ex communi & publico hominum testimonio in Theologiae myste-

ria acuti sui ingenij acie profundè penetrantis) propria Adversarii Verba, qui Theses suas ita auspicatus est. [Non penetravit Haunoldus tres illas S. Thomae rationes, quibus hic q. 2. a. 3. existentiam DEI demonstrat, se fundans in repugnantia processus in infinitum: dum lib. 1. Theol. specul. n. 19. opinione asserente, possibiles fuisse generationes infinitas ab aeterno, quam Angelico Doctore falsò attribuit, deterritus aliò confugit.] Inprimis existimo, Veritatem propter ejusmodi exordium, verecundo quodam rubore suffusam esse, eodemque vultu aliarum quoque Thesium similia inauspicata auspicia legisse. Deinde non invenio ullum propugnaculum, vel argumentum, quo Adversarius in his verbis, non penetravit Haunoldus tres rationes S. Thomae, sed deterritus aliò confugit, aliquam Veritatem tueatur. Nam ab ipso in defensionem veritatis in tota thesi sua nihil aliud video praestitum, quam quòd exscripserit duos textus, unum ex Ioanne à S. Thoma 1. p. q. 2. disp. 3. a. 2. n. 19. ubi ait, Licet sit opinio, an possint dari infinita per modum effectus, non tamen per modum causalitatis requisitae ad unumquemque effectum, sic enim nunquam esset determinatus, & novus effectus, si non esset finis in his, quae requiruntur ad causandum, & de hoc non est opinio. Addit Adversarius: ut male supposuit Haunoldus: repono ego: ut hoc suppositum malè imposuit adversarius Haunoldo: quia, ut dixi, P. Haun. per particulam Successivas solummodo indicavit opinionem, quae admittit infinitos effectus, successivè productos, non autem infinitas causas, simul operantes, & necessarias per se, ad productionem alicujus determinati ac novi effectus, quarum solarum possibilitatem (non autem successivarum, vel causarum per accidens praeteritarum, & non amplius per se influentium) negat S. Thomas in altero textu, rursus impertinenter ab adversario relato ex 1. p. q. 46. a. 2. ad 7. Ubi inquit S. D. [In causis efficientibus impossibile est procedere in infinitum per se, ut puta, si causae, quae per se requiruntur ad aliquem effectum, multiplicarentur in infinitum. Sicut si lapis moveretur à baculo, & baculus à manu, & hoc in infinitum

A Sed

Sed per accidens in infinitum procedere in causis agentibus, non reputatur impossibile, ut putatur, si omnes causas, quae in infinitum multiplicantur, non teneant ordinem, nisi unius causae, sed earum multiplicatio fit per accidens. Sicut artifex agit multis martellis per accidens: quia unus post unum frangitur. Accidit ergo huic martello, quod agit post actionem alterius martelli. Et similiter accidit huic homini, in quantum generat, quod sit generatus ab alio &c.]

3. Sed quid haec prosunt Adversario ad profundam penetrationem trium rationum S. Thomae sibi contra P. Haunoldum arrogandam? Quid ad probandum P. Haunoldi terrorem, & fugam? An forsan hic ideo fugit, quia tres rationes S. Thomae fundatas in repugnantia processus in infinitum in causis per se subordinatis, & quoad simultaneum actualemque influxum necessariis, ut ponatur novus effectus, non ex instituto retulit, sed ut jam communiter notas ac Philosophis, in Metaphysica existentiam DEI demonstrantibus, ultro relictas, supposuit? Verum sic inferri posset, etiam Adversarium fugisse ab alijs duabus Rationibus S. Thomae, quas S. D. prioribus tribus loco cit. subiungit, & ab illa, qua usus est lib. 1. contra Gent. c. 13. in fine. Cum nullius istarum Adversarius mentionem faciat, An ideo fugit P. Haun. quia Atheo volenti evitare processum in infinitum in causis per se subordinatis, à S. Thoma ut impossibilem obiectum, per suam argumentationem, & specialem rationem, effugium praclusit? Atqui hoc etiam fecit ipse S. Thomas per illas alias rationes, ab Adversario praetermissas, & ab omni impossibilitate processus in infinitum independentes.

4. Quia enim Atheus posset dicere, à se solummodo supponi processum in infinitum in causis successivis, & postquam aliqua causa est producta, eam, sicut opus artificis, sine ulteriori ope & conservatione artificis, tamdiu seipsa persistere, donec ponatur aliquod contrarium, vel destructivum illius, ut adeoque quando ipsa agit, non habeat opus alià causà primà, vel infinitis per se subordinatis ad retinendam suam propriam existentiam; ideo etiam ut possibili concessio processu in infinitum in causis successivis à S. Thoma, & à P. Haunoldo transmissio, ipse ulterius ostendit ratione quoad efficaciam ab Adversario non impugnata, multò minus expugnata, quod infinita collectio causarum praeteritarum, seu successivatum, indigeat aliquà causà per se, quae sit extra totam illam collectionem, adeoque nullam aliam causam etiam per accidens supponat, sed sit penitus improducta. Et hoc non est aliò confugere, vel non penetrasse tres rationes S. Thomae, sed est Atheo duntaxat fugam pracludere per ostium, quod falsò putabat à S. Thoma sibi apertum, concessione possibilis processus in infinitum in causis successivis: dum adhuc urgetur Atheus, ostendendo, eum frustra asserere

creaturas, successivo influxu ab aeterno se propagantes, & solum in conservando secundum attentatum effugium ab omni causa independentes, ut evitet causam per se necessariam, ab alia improductam, & infinitas per se subordinatas, quarum implicantià S. D. demonstravit necessitatem causae primae, ac improductae.

5. In quem finem, & ad praedictum effugium pracludendum, sic etiam contra Atheum argumentari licet sine fuga propriae suspitione. Si creatura in conservando non indiget alià causà conservativà, & haec iterum alià usque dum perveniat ad aliquam causam primam, vel ad infinitas per se, sequitur, quod quia Corpora Coelestia, utpote ad generationem ac conservationem aliarum creaturarum semper necessaria, & quoad substantiam ex defectu principij vel qualitatis contrariae semper incorrupta, eadem, ab aeterno secundum Atheum existerent, hoc ipso semper existerent in conservari; & si res in conservari existens pro tunc non indiget causà productivà, hoc ipso etiam nunquam fuerint producta ab alio, consequenter existerent semper à se; ergo vel debet fateri Atheus, dari ensi se, quod est directè contra negationem existentiae DEI sub conceptu Entis à se, seu Improducti, vel Occlusum est illi suum effugium, quo volebat evitare necessitatem admittendi Causam Primam, vel infinitas per se. Plures alias demonstrationes, quibus vel hoc ipsum effugium praepeditur, vel per abundantiam existentiae DEI immediatè convincitur, nempe omnino quindecim, partim physicas, partim morales, fusè & efficaciter prosequitur Lessius lib. 1. de Providentia Numinis cap. 2. quae apud ipsum legi possunt, mihi enim sufficit ostendisse, tres rationes S. Thomae, fundatas in repugnantia processus in infinitum in causis per se; à P. Haunoldo rite penetratas, & contra non observatum ab Adversario effugium Athei speciali ratione vallatas, non autem per fugam desertas esse; neque enim ad hanc primum esse P. Haunoldum, experietur Adversarius, pugnà pro Veritate deinceps protractà.

CONTROVERSIA II.

ESSENTIA DEI.

An sit formaliter aliud praedicatum Essentiae, & aliud Natura Divina.

6. REctè docuit P. Haunoldus l. r. n. 14. & 66. Conceptum quidditativum DEI in ratione Essentiae constitui per Ens à se, & in ratione Naturae per esse à se intellectivum. Etiam ne Natura per esse à se potentia physice provenit non detur in DEO potentia physice productiva ipsius Intellectionis & Volitionis Divinae non tamen hinc contra omnium Fidelium sensum sequitur, non dari Naturam, vel hanc, aut contentit Adversarius, non distingui ratione ratione.

rationem ad Essentiam: quia aliud est, non dari eandem rationem distinguendi Essentiam & Naturam in DEO, quæ requiritur ad conceptum quidditativum Naturæ in Creatura, ubi principium actionis est conjunctum cum aliqua potentialitate, quæ potentialitas in DEO nec reperitur nec necessaria est vel ad salvandam distinctionem rationis, qualis etiam intercedit inter alias DEI perfectiones, ad quas non datur potentialitas; vel ad salvandam naturam; & aliud, dari nullam rationem distinguendi, licet ipsum intelligere DEUS ejus essentia realiter. Possit namque cum hac identitate reali consistere distinctionem rationis rationem, vi cuius Essentia Divina non tantum latè sumpta, sed prout est prima Ratio illativa omniū aliarum perfectionum Divinarum & distinctiva DEI à creaturis, differat à prædicato Naturæ, conceptibilis ad modum potentie Intellectivæ, patet ex textu S. Thomæ, ab Adversario solummodo truncatè citato, quando nimirum Angelicus Doctor hic q. 4. r. a. 4. ad 3. ita loquitur. *Intelligere & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicujus rei, à DEO distinctam vel Essentialiter vel Personaliter. Unde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentie in DEO, nisi NB. secundum modum intelligendi & significandi tantum: prout diversimode significatur in DEO intellectus, & intelligere, cum tamen ipsum intelligere Dei sit ejus essentia, non habens principium. Idem S. Doct. supra q. 26. a. 2. in C. ipsū intelligere, ait, secundum rationem nostrā attribui, adeoque; ut formaliter distinctum superaddi essentia, tanquam formalem ejus beatitudinem, sicut Beatis in cælo attribuitur & superadditur realiter. Verba ejus sunt hæc. In DEO autem non est aliud Esse & Intelligere secundum rem, sed tantum NB. secundum intelligentiam rationem. NB. Attribuenda ergo est DEO beatitudo secundum intellectum sicut & alijs Beatis, qui per assimilationem ad Beatitudinem ipsius Beati dicuntur. Et mox in resp. ad 1. inquit. Dicendum quod ex illa ratione probatur, quod DEVS sit Beatus secundum suam essentiam, non autem, quod Beatitudo ei conveniat secundum rationem Essentia, sed magis secundum rationem intellectus.*

7. Quod autem supposita hac distinctione intellectuali inter Essentiam & Naturam Divinam, conceptus quidditativus DEI in ratione Essentia consistat in tō esse à se, in ratione Naturæ verò in tō esse à se intellectivum, rursum testatur S. Thomas 1. p. q. 13. a. 11. ad 1. ubi ait. *Hoc nomen, qui est, est magis proprium nomen DEI, quam hoc nomen Deus. Cujus rationem indicavit in ipso corpore Articuli, inquit: Cum esse Dei sit ipsa ejus essentia, manifestum est, quod inter alia nomina hoc maxime propriè nominat DEVM. Unumquodque enim denominatur à sua forma. Nomen DEVS autem non ad essentiam, seu formam DEI, sed ad Naturam Divinam formaliter nominandam præcipuè esse impositum, exple sit in cit. loc. ad 1. his verbis: Sed quantum ad id, à quod imponitur no-*

men ad significandum, est magis proprium hoc nomen, DEVS, quod imponitur ad significandam Naturam Divinam. Nam ut idem S. D. Opusculo de Ente & Essentia inquit; Nomen Naturæ significare videtur Essentiam rei NB. secundum quod habet ordinem ad propriam operationem; propria autem Operatio DEO est Intellectio, sub qua etiam comprehenditur Providentia DEI: unde S. D. 1. p. q. 13. a. 8. in C. allegans S. Dionysium ait; Imponitur enim hoc nomen DEVS ab universali rerum providentia; omnes enim loquentes de DEO hoc intendunt nominare DEVM, quod habet providentiam universalem de rebus. Et ibidem reddens rationem, quare pro Ente à se denotando potius utamur nomine DEUS, licet non Essentiam, sed Naturam exprimat, dicit: quia DEVS innotescit nobis ex operationibus, vel effectibus eius, ex his possumus eum nominare. Unde hoc nomen DEVS est nomen Operationis.

8. Autoritati S. Doctoris addo rationem. Si ad esse Operativum alicujus substantiæ præsupponitur aliud prædicatum, ex quo per rationem nostram inferitur ipsum esse operativum, & per quod primò differt ab omni alio, quod non est ipsum, tunc illud prædicatum, quod est primò distinctivum, est etiam primò constitutivum essentia rei, & tale prædicatum essentia formaliter distinguitur à prædicato naturæ, præsupponente prædicatum essentia: Atqui ad esse Operativum DEI ratione nostrā præsupponitur ipsum Esse à se ex quo ceteræ perfectiones Divinæ, omnes, atque adeo etiam ipsum Operativum per rationem nostram inferuntur, estque primum distinctivum DEI ab omni eo, quod non est DEUS, nempe à creaturis, quæ enti à se primò opponuntur per tō esse ab alio: ergo esse à se est prædicatum Essentia Divinæ, formaliter distinctum ab esse operativo, quod est prædicatum Naturæ Divinæ. Major est ex terminis nota omni intelligenti significatum essentia. Minor traditur à S. Dionysio c. 5. de Divinis Nom. his verbis: *Ex ipso esse, tanquam antiquiori alijs DEI bonis, ipse DEVS celebratur.* Deinde concludit. *Primum igitur ipsum esse munus ceteris præponens suprema illa Bonitas ipso esse, ut antiquissimo, primoque omnium ejus participationum potissimum celebratur.* Et S. Thomas 1. dist. 19. q. 2. a. 1. ad 1. utpote constans sectator S. Dionysij testatur, Essentiam (significatam juxta ipsum per nomen qui est, quod non existentiam, sed Aseitatem denotat, ut etiam 1. cont. Gent. c. 12. explicat) secundum intellectum esse priorem suā existentia, sic enim loquitur. *Possent etiam dici, quamvis non ita bene, quod causa communiter accipitur pro omni eo, quod est etiam prius secundum rationem. Cum enim Essentia Divina secundum intellectum sit NB. prius, quam esse suum (sumit hic esse suum pro existere suum, ut rursum patet ex cit. loco contra Gent.) & esse prius, quam Aternitas sicut mobile est prius motus & motu, prior tempo-*

re, dicitur ipse DEUS esse causa suae Aeternitatis secundum modum intelligendi, quamvis ipse sit sua Aeternitas secundum Rem.

CONTROVERSIA III. DISTINCTIO MEDIA.

*An detur Distinctio Virtualis inter
Essentiam & Relationes Divinas.*

9. Si Essentia Divina non præcisè secundum *Esse Absolutum* sumatur, secundum quod cum S. Thoma q. 39. a. 1. imò cum expressa declaratione Concilij Florent. sess. 25. col. 5. §. *Quibus Latini*, omnino fatendum est, Essentiam à Relatione Divina non differre re, sed ratione tantum; sed si sumatur, quatenus per sui Communicationem identificatur cum Filiatione Divina, eamque per identitatem includit, merito visum est P. Haunoldo lib. 1. n. 77. eam plus, quam ratione distinguì à Paternitate; quia ut sic continet duo prædicata, unum quod est commune Paternitati, & alterum, quod est realiter distinctum à Paternitate; proinde Essentia Divina, sumpta cum Filiatione, ratione hujus tertij prædicati utique plus distinguitur, quam cognitione; quæ distinctio tamen quia propter prædicatum Absolutum, Filiationi, & Paternitati Commune, non est adæquata Realis, Vocatur à Citato Auctore *Media* vel *Virtualis*, ab aliquibus vocatur etiam *inadequata Realis*. Quod autem Essentia possit per Intellectum tali modo considerari, partim articulus fidei est, partim indicatur à S. Thoma I. c. ad 2. his Verbis. *In quantum Essentia & Persona in Divinis differunt secundum Intelligentiæ Rationem*, sequitur, quod aliquid possit affirmari de Uno, quod negatur de Altero: & per consequens quod Supposito Uno non supponatur alterum. Subsumo. Atqui sola distinctio rationis, qualis datur in Creaturis, nisi Essentia Divina se comunicaret Filiationi, cui Paternitas non comunicatur, nõ sufficeret ad Verificandam hæc prædicata contradictoria physica: *Essentia est Filiatio: Paternitas non est Filiatio*. Ergo etiam S. Thomas agnoscit aliam distinctionem rationis majorem, quam qualis datur in Creatis. Idem significavit 1. dist. 34. q. 1. a. 1. ad 2. inquit; *Quia Essentia & Persona Ratione distinguitur, quicquid pertinet ad Rationem illam, in qua distinguuntur, quod prædicatur de uno, potest negari de altero, ut dicatur, quod Essentia est communis, Persona non est communis.*

Persona generat, Essentia non generat.

CONTROVERSIA IV. LUMEN GLORIÆ.

An solum Lumen Gloriæ, vel an Intellectus simul influat in Visionem.

10. Non negat P. Haunoldus lib. 1. Instit. Theol. n. 62. id quod ex adducto textu S. Thomæ ab Advers. unice convincitur, nempe quod Lumen Gloriæ totam Visionem Beatificam producat, ideoque utramque propositionem S. Thomæ mox referendam concedit esse Verissimam; sed negat, eundem solum Lumen Gloriæ Visionem immediatè producat, & hic est nodus difficultatis controversæ, quam Adversarius, essi gravissimam appelleret, tamen cum priori propositione non negat à hic & Thes. 6. confundit, quasi idem sit, Lumen gloriæ esse totam rationem agendi seu, ut cit. thesi 6. loquitur Adv. esse principium effectivum adæquatam Visionis: & esse rationem agendi totius Visionis, seu esse principium effectivum adæquatam Visionis. Unde non rectè etiam dicit Adversarius, quod Thomista post S. Doctorem; *Contra Gent. c. 14.* volum velint, hanc causalem, ideo *Visionem* dicunt *Beati*, quia per *lumen gloriæ* sunt elevati, non minùs esse Veram, quam doctrinam D. Thomæ 1. 2. q. 111. a. 2. ad 2. docentis, dum in justificatione per motum liberi arbitrij Dei iustitiam consentimus, *Totam operationem pertinere ad gratiam*. Verùm Thomista, quos P. Haunoldus impugnat, non tantum hoc volunt, quod relictis verbis Angelici Doctoris indicatur, sed insuper contendunt, Beatos ita elevari per lumen gloriæ, ut illorum Visio intuitiva DEI, quæ Vitalitatem & supernaturalitatem per identitatem includit, non immediatè dependeat ab Intellectibus Beatorum, sed à solo lumine gloriæ, quæ tanquam instrumento intrinseco mediante, ipsi Intellectus dicantur elicientes Visionem.

11. Contra hos itaque Doctores affert P. Haun. quod quia perfectiones cujusque effectus debent contineri in causa adæquata, ideo Intellectus Beatorum debeant immediatè influere in Visionem ratione Vitalitatis, & Lumen gloriæ ratione Supernaturalitatis, non quasi non utraque partialis causa producat utramque perfectionem effectus, utpote realiter distinctam; sed quia Intellectus non possit totum effectum producere ratione Supernaturalitatis, quam Intellectus non habet, proinde nec dare posset, nisi adjuvaretur à lumine gloriæ & vicissim quia Lumen gloriæ non possit totum effectum producere ratione Vitalitatis, nisi hujus defectus suppleretur ab Intellectu, tanquam à principio Vitali: conceditur igitur P. Haunoldus à quavis causa partiali produci

ducitur totum effectum, sed non totaliter. Utrum autem propterea etiam Lumen gloriae debeat dici elevatum ab Intellectu, sicut Intellectus elevatur à Lumine, responderi potest Adversario proprijs ejusdem verbis ex Thes. 89. scilicet quod manifestè ad inutilem & contemnendam de Nomine quaestionem recurrat. Quia tamen forsitan hac responsione contentus non erit, ideo ulterius respondeo, ex eo, quod intellectus tanquam subiectum & comprincipium Lumini Gloriae sit naturaliter debitum, Lumen gloriae verò sit qualitas Supernaturalis, ac indebita Naturae, solum Intellectum dicendum elevari à Lumine, ad effectum indebitum, lumen autem non elevari, sed adjuvari ab Intellectu ad effectum debitum.

12. Nunc ad quaestionem dere veniendo, ostendo, Patrem Haun. contra plures Insignes Thomistas, non autem contra S. Thomam, Intellectui rectè attribuisse immediatum influxum in Visionem DEI. Licet enim Angelicus Doctor in quaestionib. disput. q. Unica de Virtutib. in communi 1. 10. ad 2. dicat: *Respectu eorum, quae facultatem Naturae non excedunt, habet homo à Natura non solum principia receptiva, sed etiam principia activa; respectu autem eorum, quae facultatem naturae excedunt, habet homo à Natura aptitudinem ad recipiendum.* Et iterum 1. 1. q. 109. a. 1. *Unaqueque forma, indita rebus creatis à DEO, habet efficaciam respectu actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem; ultro autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam.* Facile tamen Mens S. Doctoris explicatur: Quippe per primum textum minimè negat, quod homo respectu eorum, quae facultatem Naturae excedunt, habeat potentiam obedientialem activam inchoatam, seu incompletam, sed tantum, quod habeat completam per necessaria comprincipia, ad quae neque jus habet exigendi, sed solum aptitudinem recipiendi. Per Secundum S. D. non dicit, quod postquam forma elevans est superaddita rebus, ultra effectum naturalem nihil possint immediate producere, sed tantum quod non possint, nisi per aliquam formam superadditam completantur, & eleventur, sive deinde illa forma sit intrinseca, qui modus elevandi Intellectum est connaturalior, sive sit extrinseca, nempe Omnipotentia DEI.

13. Quod verò Intellectus habeat ex se partialem & inchoatam soloque augmento indigentem virtutem producendi Visionem Supernaturalem, Clarè indicatur 3. Contra Gent. c. 53. n. 4. his Verbis. *Virtus autem Intellectus creati naturalis non sufficit ad Divinam substantiam videndam, ut ex praedictis patet. ergo Oportet, quod augeatur ei Virtus ad hoc, quod ad talem Visionem perveniat. non sufficit autem augmentum per intentionem naturalem Virtutis: quia talis Visio non est ejusdem rationis cum Visione naturali Intellectus cre-*

ati: quod ex distantia Visorum patet. Oportet igitur, quod fiat augmentum virtutis intellectiva per aliquam novam dispositionis adaptionem. Eodem modo S. D. etiam in 1. p. q. 12. a. 5. in C. docet, ad Visionem DEI esse necessarium Lumen Gloriae tanquam augmentum Virtutis intellectiva, & tanquam dispositionem elevantem, ac superacrescentem Virtutem intelligendi, non autem tanquam totam Virtutem intellectivam immediatam. Deinde in cit. a. 5. ad 1. expressè ait, quod per lumen Gloriae Intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum. Sed habitus naturales, quibuscum comparat S. D. habitum supernaturalem luminis Gloriae, & lumen Corporale, cui ibidem assimilatur lumen Gloriae, non reddunt potentiam potentior, ut ne partialem concursum immediatum debeat prestare: ergo nec lumen Gloriae hoc facit.

14. Auctoritati Angelici Magistri majus adhuc pondus addit Concilium Viennense in Clement. *Ad nostrum de Haereticis decernens, Animam indigere Lumine Gloriae, ipsam elevante ad DEVM videndum, & eo beatè fruendum.* Quibus Verbis fatentur Adversarij, quod Anima magis propriè dicatur producens Visionem, quam aqua medio calore, sibi Violenter unito, dicatur calefaciens manum: Atqui nisi anima per suam naturalem potentiam intellectivam produceret Visionem, propter lumen Gloriae, non quidem Contra, sed tamen supra exigentiam Naturae sibi unitum, non posset dici magis propriè & formaliter producens Visionem, quia Luminis Gloriae neque esset radix activa, eò quod ex se illud non emanaret, neque passiva, hoc ipso, quod Lumen non sit juxta, sed supra exigentiam naturalem Animae; ergo Anima per suam naturalem potentiam intellectivam simul cum Lumine Gloriae producit Visionem.

15. Deinde cur Adversarius dissimulavit illud gravissimum argumentum P. Haunoldi, desumptum à paritate voluntatis, quae immediate debet cum habitibus supernaturalibus concurrere ad actus supernaturales, meritorios? Negant quidem hoc ipsum Adversarij, opposcentes primò, quod si daretur in natura voluntatis vis quaedam initialis, immediate productiva effectuum supernaturalium, hoc ipso in Natura jam darentur initia gratiae, & semina quaedam rerum supernaturalium, qui est error SemiPelagianorum; secundò, quod habitus supernaturales, cum auxilijs gratiae, vel essent superflui, vel debiti: tertio, quod ipsa potentia obedientialis Voluntatis esset entitative supernaturalis, sicut actus sunt supernaturales, cum Omnis potentia specificetur ab actu, ad quem Ordinatur, cujusdemque sit ordinis cum illo.

16. Verum partialis influxus in actus supernaturales non potest ob praetensas rationes negari Voluntati. Quia S. Paulus 1. Cor. 15.

ta loquitur de bonis suis operibus supernaturalibus, in utilitatem etiam aliorum practitis: *Abundantius illis Omnibus laboravi: non Ego autem, sed gratia DEI mecum.* In qua Verba S. Aug. de gratia & libero arbit. c. 5. ita scribit. *Non solus, sed gratia DEI mecum: ac per hoc non gratia DEI sola, nec ipse solus, sed gratia DEI cum illo.* Et in pl. 78. super illa Verba: *Adiuvans nos DEVS Salutaris noster: inquit idem S. Pater. Adiuvare nos vult, nec ingratus est gratia, nec tollit liberum arbitrium; qui enim adiuvatur, etiam per seipsum aliquid agit.* Idipsum videtur plane definitivisse Concil. Trid. sess. 6. c. 5. dicens, hominem gratia excitanti atque adjuvanti liberè assentiendo, & cooperando disponi. Et Can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum nihil cooperari assentiendo DEO excitanti, atque Vocanti, quoad obtinendam Iustificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire si Velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit.

17. Ad Rationes oppositas facile p. primam niti falsà Suppositione, quia Error Semi-Pelagianorum fuit iste, quod dixerint, hominem per actus merè naturales, independentes à principio supernaturali elevante, posse mereri auxilia supernaturalia ad producendos actus supernaturales, meritorios gratia iustificantis, adeoque principium Iustificationis esse adequatè in Viribus Naturæ positum. Ad secundam Rationem patet solutio ex dictis, hoc ipso enim, quod potentia Naturalis tantum sit incompleta & inchoata, indiget habitu & gratia auxilio supernaturali, elevante; & cum solum detur indigentia, non autem exigentia naturalis, ipsum principium elevans est indebitum. Tertia Ratio etiam si videatur niti autoritate Angelici Doctoris 1. p. q. 77. a. 1. in C. ubi ait: *Cum potentia, & actus dividantur, & quodlibet genus entis: oportet, quod ad idem genus referatur potentia & actus: & ideo si actus non est in genere substantiæ, potentia, quæ dicitur ad illum, non potest esse in genere substantiæ:* Tamen S. D. non loquitur hic de potentia instrumentali, vel elevata, qualis est Intellectus in ordine ad Visionem supernaturalem, ad quam ita se habet, sicut accidentia ad producendam substantiam in sententia S. Thomæ.

18. Unde patet, ab Adversario immeritò obijci P. Haunoldo, quod non tetigerit nodum difficultatis gravissima: cum potius Adversario opponi possit, quod neque difficultatem questionis, neque argumentorum P. Haunoldi tetigerit, quale etiam erat illud à P. Haun. his Verbis insinuat. *Accedit ratio Philosophica, desumpta ex Vitalitate actus, ob quam exigit procedere à principio Vitali, qua tali; cuiusmodi sanè non est Lumen Gloriæ, utpote indebitum Animæ. Neque illius Vitalitas rectè probatur ex illo Ioan. 17. Hæc est Vita æterna, ut cognoscant te*

DEVM Verum. Nam ex his ad summum infertur Vitalitas ipsius cognitionis, & quod proinde procedat ab aliquo principio Vitali, nempe ab Intellectu. Dixi *Ad summum.* Nam particula *Vita* non sumitur ibi in sensu Philosophico, quo modo etiam Dammati vivunt vitam in actu secundo, sed in sensu Theologico, pro æterna Felicitate, ratione cuius Gratia iustificans dicitur: *Vita in actu primo, quamvis definitiva Vita in rigore Philosophico, nec ipsi, nec habitibus supernaturalibus, uti neque Naturalibus, secundum communem sententiam DD. propriè conveniat.*

CONTROVERSIA V.

ASSISTENTIA EXTRINSECA

An DEVS per hanc possit supplere defectum Luminis gloriæ.

19. Non nimis confidenter suppositum est Haun. lib. 1. Instit. Theol. n. 61. *DEO per assistentiam extrinsecam posse supplere lumen gloriæ, idèquò immeritò de hoc arguitur ab Adversario.* Licet enim S. Thomas 1. 2. q. 175. a. 3. ad 2. dicat: *Divina Essentia Videri à Intellectu creato non potest, nisi per Lumen Gloriæ;* huius rationem assignans 3. contra Gent. c. 11. his verbis quod nihil possit ad altiorum operationem elevari, nisi per hoc, quod ejus Virtus fortius inferat: *Oportet igitur, quod fiat augmentum Virtutis Intellectivæ per alicujus novæ dispositionis assumptionem:* ambo tamen textus solummodo intelligendi sunt de impotentia & impossibilitate in se ex parte Intellectus, seu Virtutis naturalis creatæ, in qua proinde datur indigentia Luminis Gloriæ, tanquam dispositionis elevantis ad altiorum Operationem, nisi DEVS per Assistentiam extrinsecam suppleat modo extrinsecario illam ipsam dispositionem intrinsecam, per se ipsum immediatè fortificans Virtutem Naturalem, & præstans concursum fortiorum, quod etsi minus connaturaliter & ordinariè, per dissolutionem tamen DEI potentiam fieri possit, expressè testatur S. Thomas q. 10. de Veritate a. 11. in c. Ubi præmittens suam doctrinam ab Adversario objectam, eandemque nostro modo explicans, inquit. *Oportet, quod si DEVS per Essentiam Videri debeat, quod per nullam creatam fieri videatur; sed ipsa ejus Essentia fiat intelligibilis forma intellectus ejus Videntis. Quod fieri non potest, nisi ad hoc intellectus creatus per Lumen Gloriæ disponatur: & sic in videndo Deum per essentiam per dispositionem, & infusi luminis pertingit mens ad terminum Viæ, qui est gloria; & sic non est in Viæ. Sicut autem Divina Omnipotentia subiecta sunt corpora, ita & mens. Unde sicut potest aliqua corpora pervenire ad effectum, quorum dispositio in prædictis corporibus non invenitur, sicut l'etrum fecit super aquas ambulare, sicut haec*

quod ei dotem agilitatis tribueret, ita potest mentem ad hoc perducere, ut Divina Essentia uniatur in statu *Via* modo illo, quo unitur sibi in patria, sine hoc NB. quod Lamine Glorie perfundatur.

20. Nec tamen hinc sequitur, Rationem, qua Praeceptor Angel. 2. 2. q. 23. a. 2. contra Lombardum probat, Charitatem non esse ipsum Spiritum Sanctum, nullius fore roboris, est enim Majoris, quam Adversario gratum sit. Quia nempe actus Charitatis debet esse Voluntarius, ideo non potest procedere à solo Spiritu S. tanquam Principio adaequatè extrinseco; & quia etiam debet esse liber, ac meritarius, ideo debet quoque immediate procedere à potentia libera, cujus est agere, vel non agere, quo praecedenti thesi nova confirmatio accedit: quia denique modo ordinario, & connaturaliori procedit, si potentia activa sit connaturalis per aliquam formam, quae etiam sit principium actionis; propterea maxime necesse est inquit S. D. quod ad actum Charitatis in nobis existat aliqua habitualis forma, superaddita potentia naturali, inclinans ipsam ad Charitatis actum, & faciens eam promptè & delectabiliter operari. Cujus formae defectum tamen DEUS modo extraordinario, & minus connaturali supplere potest, sicut de Suppletionem possibili Luminis Glorie S. Thomas loco proxime citato testatur est, quamvis propter rationem ultimo loco relatam, neque ipsum lumen glorie suppleverit, eodem S. D. teste, 2. 2. q. 176. a. 3. ad 2. quando S. Paulus in raptu DEUM vidit per lumen glorie, ad modum passionis transiens participatum.

CONTROVERSIA VI. VISIONVM INÆQUALITAS.

An hæc proveniat ex sola Inæqualitate Luminis Glorie, vel an etiam possit provenire ex inæqualitate intellectuum.

21. *Æ*què parum sibi contradicit P. Haunold. l. 1. n. 159. asserens: [Visiones esse formaliter æquales, non obstante Intellectuum inæqualitate, si Lumen Glorie sit ejusdem rationis:] quàm parum sibi contradicit S. Thomas, quando concedit Intellectui *partialem influxum in Visionem*, ut thesi 4. ostensum est; Lumen Glorie verò tribuit rationem formæ, ac principij elevantis Intellectum, & unice mensurantis perfectionem Visionis, eò quod major perfectio Intellectus secundum hunc ipsum suum excessum perfectionis sit adhuc Improporcionata ad modum cognoscendi intuitivum DEI, magis perficiendum, atque ad eundem per Lumen Glorie debeat elevari. Unde juxta S. Thomam 1. p. q. 12. a. 6. ad 3. Dicendum

quod diversitas Videndi non erit ex parte objecti: quia idem Objectum omnibus præsentabitur, scil. DEI essentia: nec ex diversa participatione objecti per differentes similitudines, sed erit per diversam facultatem Intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam. Idem ex instituto tradit 3. contra Gent. c. 58. per totum.

22. Propterea principium Adversarij non est universaliter Verum, quod quando aliquis effectus penderà duplici causa, quarum qualibet suà propriâ activitate influit in actum, ex augmento cujuscunque causæ necessariò debeat crescere aliqua perfectio in effectu. Falsum enim hoc est Si activitas causæ, & ipsum augmentum perfectionis propter suam improporcionem elevatione indiget, ut ad perfectionem effectus pertingat. V. C. ut Intellectus creatus producat cognitionem DEI Intuitivam, cujus activitas cum omni sua perfectione naturaliter se tantum extendit ad cognitionem abstractivam, quoad modum tendendi dissimilimam.

23. Sicut autem Intellectui concedendus est partialis influxus in Visionem, sic non obstante textu ex S. Th. 3. cont. Gent. cap. 149. ab Adversario allato, concedendus est homini partialis influxus in conversionem, & ad bene volendum, ac operandum; licet enim, ut inquit S. D. *Divino prævenitur auxilio*, tamen eatenus solum prævenitur, quatenus illud auxilium pro priori naturæ accipit, antequam cum illo operetur, non autem prævenitur ipsa operatio hominis, quasi auxilium se solo prius producat operationem bonam, aut justificantem, vel quasi homo ad illam operationem per ipsum auxilium physice prædeterminetur, ut perperam Adversarius pro eodem sumit præventionem & prædeterminationem. Quandoquidem verò uterque partialis influxus, quo Voluntas ad operationem bonam se liberè determinat, vel quo Intellectus ad Visionem DEI proximè concurret, non est secundum, sed supra naturam, & quia major perfectio intellectus nullam habet naturalem proportionem ad Visionem DEI perfectiorem, ideo P. Haunoldus æquè ac Thomistæ cum S. Thoma 1. p. q. 12. a. 6. dicere potest: quia *facultas Videndi DEVM non comperit intellectui creato secundum suam naturam*, ideo intellectus *plus participans de lumine glorie perfectius DEVM videbit.*



CON-

CONTROVERSIA VII.

VISIONIS OBJECTUM.

An scilicet Visio DEI, possit repræsentare unam perfectionem simpliciter simplicem, vel relativam sine alijs, vel alias sine ista.

24. Sententiæ negativa & communis Theologorum S. Thomas 3. p. q. 3. a. 3. rationem assignat his verbis: *Intellectus dupliciter se habet ad Divina. Uno modo ut cognoscat DEVM sicuti est: & sic impossibile est, quod circumferatur per intellectum aliquid à DEO, & quod aliud remaneat: Quia totum, quod est in DEO, est unum. Salva distinctione Personarum. Cujus Vini Adversarius non videtur satis percepisse, dum eam confundit cum illa, de qua P. Haunoldus lib. 1. n. 178. inquit: [Omissa probatione Vulgari, desumpta ex generali ratione Visionis, seu cognitionis intuitivæ, quasi de hujus natura sit, discernere omnes formalitates identificatas in objecto; quæ argumentatio merito ab Auctoribus primæ sententiæ exploditur; quia manifeste nimium probat, quia inde inferretur non videri ab uno Beato plura Attributa secundariarum, quam ab alio] Nam ista posterior ratio, fundata in quacunque unitate ac identitate prædicatorum, qualem etiam habent Attributa Divina secundaria, & propterea nimium probans, non est eadem cum ratione S. Thomæ, fundata non in quacunque identitate, sed in illa solùm, quæ est de conceptu cujusvis prædicati, quod est in DEO: cum enim quodlibet prædicatum, quod est in DEO, sit Divinum, quæ Divinum autem in suo conceptu involvat identitatem cum omni perfectione simpliciter simplici, & inter perfectiones simpliciter simplices etiam sit facienditas, & vis se identificandi cum prædicatis Relativis, realiter inter se distinctis, hinc fit, ut nullum prædicatum Divinum possit videri, ut est in se, & ut Divinum, quin simul ratione identitatis inclusa in eo esse Divinum, seu infinitè perfectum, videantur omnes perfectiones simpliciter simplices, & omnia prædicata relativa relucet in fecunditate, & in Virtute se (id est, Naturam & Essentiam DEI) eum tribus Relativis realiter identificandi.*

25. Et hinc patet, à P. Haun. Rationem S. Thomæ non tantum non explodi, sed adhiberi, & proponi n. 183. his verbis. [Repugnat videri unum Attributum Divinum, quæ Divinum, hoc est, in ratione infiniti, quin videantur etiam cætera: ergo repugnat visio, de qua disputamus. Declaratur antecedens. Infinitas Divinorum Attributorum non nisi ex duplici capite desumi, & cognosci potest: Primò quidem ex ordine ad infinitos terminos, quos respicit: hoc modo fatendum est non videri à Beatis Omnipotentiam, quia non vident in Deo omnes

terminos possibiles illius: (unde S. D. 1. p. q. 1. a. 8. in C. inquit, *Ille intellectus potest in causa cognoscere omnes causas effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit. Nullus autem intellectus creatus totaliter DEVM comprehendere potest, ut ostensum est. Nullus igitur intellectus creatus, videndo DEVM, potest cognoscere omnia, quæ DEVS facit, vel potest facere; quibus verbis evertitur etiam à S. D. illa ratio, ex qua inferretur, omnia Attributa secundaria, in quibus cognoscerentur effectus possibiles, per Visionem DEI intuitivam repræsentari debere.) Secundo, ex identitate cum omni perfectione simpliciter simplici: atqui hæc identitas secundum Adversarios non videretur, si unum Attributum videretur altero non viso: videretur quidem identicè, sed non formaliter, sive, ut charitè dicam, non videretur eo modo, quo de facto videtur à Beatis: ergo non videretur in ratione infiniti: ergo Visio Attributi Divini, in ratione infiniti debet esse Visio omnium Attributorum, constituentium DEVM in ratione eutis infiniti, & plenè felicitantis, ac satiantis.] Ecce, quomodo P. Haunoldus non explodit, sed insinuat Rationi Angel. Doctoris.*

26. Ab ea tamen, & à mente sui Magistri recessit Adversarius, dum ab *Visione* perfectionum Divinarum confugit ad *immediatam* repræsentationem DEI in Visionem sine concursu immediato cujus speciei impressæ, ex quo si quid probaretur, sequeretur etiam non posse videri perfectiones primarias, seu simpliciter simplices, sine secundarijs: vel si DEUS non obstante, quod absque media specie intellectuali insinuat in Visionem sui, potest ita attemperare suum insinuum, ut Visio non necessariò repræsentet perfectiones omnes secundarias, identificatas cum DEO, tunc redit tota difficultas, quare *cum totum, quod est in DEO, sit unum*, & immediatè insinuat in Visionem, possint cognosci intuitivè prædicata primaria secundarijs, nec tamen unum primum sine alio primario. Neque solvitur difficultas per aliam rationem Adversarii, in ratione S. Doctoris non contentam, quòd nempe in DEO non tantum omnia sint unum cum DEO, quòd dicit S. D. sed etiam sint *purus actus* absque potentialitate: nam hæc ratio rursus probaret pro Attributis secundarijs, in ordine ad quæ etiam nulla datur potentialitas, sed à parte rei Deus est unus perfectissimus actus cū illis. Itaq; vel rursus ad alij rationes confugere debet Adversarius, ut ostendat, quomodo Visio DEI nec debeat nec possit repræsentare omnes Ideas & imagines creaturarum possibilium, sed eas tanquam perfectiones solummodo secundarias formaliter, non tamen realiter prædicatas, repræsentando totum Deum, & non realiter, ut loquitur S. D. vel debet ratione S. Thomæ non confundere cum ratione merito rejecta P. Haunoldo.

CON.

CONTROVERSIA VIII.
SCIENTIA FUTURORVM.Quomodo hæc consistat cum libertate
creata.

27. **O**ptimè, & ad mentem S. Thomæ, dixit P. Haun. lib. 1. n. 244. ideo per Divinam præscientiam non ladi nostrorum actuum libertatem, quia illa præscientia est aliquo modo à nostra Voluntate impeditilis. Etiam si enim adjuncta Voluntate, seu Decreto Divino, prædeficiente auxilia, præsupposita ad actus absolute futuros, sit causa auxiliorum, & hæc sint causa actuum, ac consequenter etiam ipsa præscientia adjuncta Voluntate sit causa actuum, ut tradit S. Thomas 1. p. q. 14. a. 8. & q. 2. de Veritate a. 14. tamen dicta præscientia est aliquo modo à nostra voluntate impeditilis, aliàs ex parte nostræ voluntatis induceret necessitatem in scito, pro qua neganda inquit S. Thomas cit. a. 14. ad 1. rectè dixisse Origenem super epist. ad Rom. 8. *Non propterea aliquid erit; quia id scit DEVS futurum; quasi diceret: non propterea aliquid necessario & impedibiliter erit; quia id scit DEVS futurum: quamvis salvâ libertate & impedibilitate præscientiæ. & præsentis decreti identificari cum hac præscientia, in alio sensu etiam verum sit, quod aliquid sit futurum, quia id futurum Deus scit per scientiam cum Voluntate conjunctam, & mediante hac causativam actus futuri: in quo sensu etiam S. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 13. scripsit: *Universas autem creaturas suas, & Spirituales & corporales non quia sunt, ideo novit, sed quia novit, ideo sunt.* In priori tamen sensu idem S. Pater lib. 5. de Civitate cap. 10. dixit: [Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccatum præcivit: imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud (Scilicet peccati impedibiliter illativum, quale esset decretum prædeterminans entitatem seu actualitatem peccati) sed ipsum peccatum esse præcivit.]*

28. Licet autem præscientia absoluta, & decretum decernens auxilia eatenus sit impeditibilis, quatenus si Deus habuisset aliam scientiam conditionatam de actu contrario, etiam auxilia dedisset per aliud decretum permissivum actus contrarij ac peccaminosi, & consequenter habiturus fuisset aliam scientiam absolutam, non tamen propterea objectum, quod est Deo ratio habendi hanc potius scientiam conditionatam & directivam decreti absoluti, quam aliam, est causa scientiæ Divinæ; quia Objectum habens duntaxat statum existentie conditionatæ, seu quod non existit, sed existeret,

si conditio poneretur, nec potest causare existentiam cognitionis, cum existentiam nullam habens, nullam possit dare; nec potest causari ab existentia cognitionis, cum ut positum in statu conditionato, nullam accipiat existentiam, sed solummodo eam acciperet, si impleta conditione transiret in statum absolutum, in quo dixit S. Thomas locis cit. præscientiam Dei adjuncta Voluntate esse causam rerum, & Deum videre nostras Voluntates, absolute exituras, videndo suam Voluntatem juxta textum 1. Cont. Gent. cap. 68.

29. Quod tamen objectum positum in statu conditionato, etsi ipsi præscientiæ non sit causa essendi, nihilominus sit ratio objectiva habendi potius hanc, quam aliam præscientiam, colligitur in primis ex paritate cum Voluntate Divina, desumpta ex 1. Contra Gent. cap. 87. ubi Angelicus Doctor ita loquitur. *Quamvis autem aliqua Ratio Divine Voluntatis assignari possit, non tamen sequitur, quod Voluntatis eius sit aliqua causa.* Idem indicavit cit. a. 8. ad 1. prosequens responsionem ad textum Origenis his verbis: [Sed quod dicit ideo præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiæ; non secundum causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea præciverit; non tamen res futurae sunt causa, quod Deus sciat.] Quæ Verba de tali causa consequentiæ intelligenda sunt, de qua Origenes, quem utique ad mentem explicavit S. Thomas, in suo textu illa intellexit, nempe quam habent res in Ordine ad præscientiam Dei, & non vicissim præscientia in ordine ad res, adeoque ut res in statu conditionato posite inferant præscientiam, non autem præscientia inferat statum conditionatum: & sic Origenes prius posuit propositionem negativam, deinde affirmativam, dicens: *Non propterea aliquid erit; quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo, antequam fiat.* Ex quo proinde textu, arque ex alijs illi similibus, neque à S. Thoma negatis, rectè P. Haunoldus impedibilitatem præscientiæ Divinæ probavit: ut quando etiam S. Justinus lib. quæstionum à Gent. positarum q. 58. sic loquitur. *Nec causa est ejus, quod futurum est, prænotio; sed quod futurum est, causa prænotionis* (intellige causam, id est rationem consequentiæ, non causam essendi) S. Hier. in Ezech. cap. 2. [Non quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præcivit; sed quod nos propriâ voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus.] Similia habent S. Chrys. hom. 60. super Matth. S. Cyrillus lib. 9. in Ioan. c. 10. Boëtius lib. 5. de Consol. prosa 3. Beata tom. 8. q. 13. & plures alij à P. Haunold. relati.

CON TROVER SIA IX.

ANTECEDENS INIMPEDIBILE.

*An hoc tollat libertatem actus
subsequentis.*

30. **E**X dictis patet, non errasse P. Haunoldum, supponendo illud principium veluti certissimum: *Quidquid ex impedibili in existendo per necessariam consequentiam sequitur, impedibile est*: Quia verò Adversarius maluit sine fundamento sparsæ fabulæ, atque à Francisco Sylvio 1. p. q. 19. a. 8. fide alienâ relata, de dicto principio à Sixto IV. condemnato, fidem dare, quàm rei veritatem ex fideli relatione Eminentiissimi Card. de Lugo disp. 26. de Incar. sect. 6. n. 72. & Bernardi Aldrede 1. tom. in 1. p. disp. 23. sect. 2. intelligere, ad quos duos AA. P. Haunoldus lib. 1. n. 27. illum ablegaverat. ideo hic citati Card. de Lugo Verba adscribere operæ pretium duxi. [Quod attinet, inquit, ad historiam illius condemnationis, scire oportet, eam sæpius à multis fuisse quaesitam, tam Romæ, quàm Lovanii, nusquam inveniri potuisse. Imò cum nuper Illustriss. & Reverendiss. D. Didacus Alvarez, Archiepiscopus Tranensis super hoc ipso Lovanienſi Academia scriptisset, responſum habuit litteris datis ad ipsum die 6. Junij anni 1631. in quibus Decanus & Facultas Theologica fatentur, se illam censuram diligenter quaesitam in Archivis Theologicæ, & Philosophicæ Facultatis, non potuisse reperire, nisi solum vetustam chartulam, manuscriptam, de Rivo subscriptam, cujus mox fiet mentio; quarum litterarum exemplum Authenticum apud me habeo. Ad majorem tamen securitatem ego denuo repetitâ diligentia curavi, quidquid in hoc lateret, in lucem produci; & tandem inventus fuit Lovanii liber quidam manuscriptus, & conscriptus, ut apparet circa illud tempus, quem communicavit, & transcribendum dedit R. D. D. Guilielmus Mercerus, Decanus S. Petri, & S. Theologiæ Doctor, & Professor Primarius: in quo habentur primò 8. propositiones Petri de Rivo, quæ ibi latissimè oppugnantur ab aliquo, vel aliquibus ex eadem Universitate. Deinde tres aliæ propositiones ejusdem Petri de Rivo. Deinde censura Lovanienſis, & tandem sententia Romæ prolata à Vicario Generali Papæ, & revocatio ibidem facta. Ex his autem omnibus constat apertè, propositionem censuram in illo Doctore non fuisse illam, quæ refertur: *Quod ex impedibili sequitur per necessariam consequentiam, impedibile est*. Sed hanc. *Quod ex precedenti Ordine successiva durationis sequitur per necessariam consequentiam, necessarium est impedibile est*. Quæ quidem merito reprobata fuit, cum sit hæretica, & erronea;

quia ut illi Doctores contra Rivam bene obieiebant, Revelatio Dei de peccato Antichristi, præcedit Ordine successionis ipsum peccatum, quod ex illa per necessariam consequentiam infertur; & tamen peccatum non est simpliciter necessarium, vel impedibile. In Cardinalis, qui Romæ scripsit, & in horum fidem plura subjunxit, quæ apud ipsum legi possunt.

31. Sed permisso principio à P. Haunoldo usurpato sine anathematis notâ, inquit Adversarius: saltem evidens est, quod hoc ipsissimum argumentum sibi objecerit, & solvens Angelicus Doctor hic q. 19. a. 8. Ubi querit. *Utrum Voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat*. Et pro ratione dubitandi subiungit. [Omnis causa, quæ non potest impediri, ex necessitate suum effectum producit: sed Voluntas Dei non potest impediri: dicit enim Apostolus ad Rom. 9. Voluntas ejus quis resistit? ergo Voluntas Dei rebus volitis necessitatem imponit.] Deinde verò respondet dicendo. [Quod ex hoc ipso, quod nihil Divinæ Voluntati resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessariò, quæ sic fieri vult.] Verùm ex his non ostendit Adversarius, quod hoc ipsissimum argumentum, prout à P. Haunoldo & ab alijs nostris Doctoribus usurpatur, Angelicus Doctor sibi objecerit. Nam argumentum constituitur in hoc principio. *Quidquid ex impedibili in existendo per necessariam consequentiam sequitur, impedibile est*. S. Doctor autem nec in objectione, nec in solutione sui argumenti dicit, quod Voluntas Dei non possit impediri quoad existentiam, sed quod liberum arbitrium non possit facere, in loco hujus decreti ab æterno positum fuerit aliud decretum; sed quod ex suppositione existentie impedibilis nulla creatura possit resistere decreto, quod minus ab arbitrio creato libere ponatur effectus, si eum voluit libere poni, nihil impedibiliter decernendo, quod pro priori naturæ existens inevitabiliter connectatur eum effectui. Unde mox in responsione ad 3. dicit. [quod posteriora habent necessitatem à prioribus secundum modum priorum: & ea quæ sunt à Voluntate Divina talem habent necessitatem, qualem Deus vult ea habere, scilicet absolutam, vel conditionalem tantum.] Quasi diceret, si priora, scilicet præscientia Dei, & decretum prædefiniens actum, ponuntur quoad existentiam impedibiliter, & sub hypothesei futuritionis conditione etiam posteriora ponuntur tantum impedibiliter, & necessitate conditionatâ, quâ fatemur poni actum præscitum, & prædefinitum, si nimirum præscientia & prædefinitio Dei ab æterno exstiterit.

32. Ex quo patet ulterius sensus prædictorum Verborum. [Quod ex hoc ipso, quod nihil Divinæ Voluntati resistit, sequitur quod]

quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessariò, quæ sic fieri vult.] Quibus Adversarius etiam potuisset adungere testimonium S. Anselmi in Concordia præscientiæ & prædestinationis c. 1. dicentis.

[Quoniam quod Deus vult, non potest non esse: si Deus vult Voluntatem humanam nullà cogi vel prohiberi necessitate ad Volendum, tunc necesse est Voluntatem esse liberam, & esse quod vult.] Non enim sensus utriusque testimonij est iste, quod agens creatum agat liberè præcisè per hoc, quod Deus velit illud liberè agere; sicut è contra non agit necessariò præcisè per hoc, quod Deus velit illud necessariò agere: sed per hoc agit liberè, quatenus neq; à natura sua est determinatum ad producendum hunc solummodo effectum, sicut v. g. ignis est determinatus ad producendum ignem & calorem, neque à Deo per accidens prædeterminatur (sicut tamen Adversarius ait prædeterminari humanum arbitrium) per aliquid, quoad existentiam inimpedibile, pro priori naturæ infallibiliter connexum cum certo effectu. Et per hoc agit necessariò, quatenus ipsum agens alterutro modo est determinatum ad producendum hunc solummodo effectum. Unde sicut Deus non posset velle, ut ignis liberè produceret calorem, sic non posset velle, ut arbitrium creatum pro priori naturæ inimpedibiliter prædeterminatum ad amorem, liberè produceret amorem. Supponunt itaq; ambo SS. Patres, cum dicunt, agens creatum non solum ponere effectum, quem Deus vult poni, sed etiam eo modo ponere, quo vult poni, quod Deus, quando vult actum secundum liberum vel necessarium, velit etiam actum primum proportionatum, nempe ut ex parte agentis creati nihil deur pro priori naturæ, quoad existentiam ab illo agente inimpedibile, & simul ineluctabiliter connexum cum actu secundo, quando eum Deus vult liberè poni; vel ut deur aliquid inimpedibile, ac inimpedibiliter connexum, quando eum vult necessariò poni: quam declarationem suorum Verborum aperte significavit ipse Angelicus Doctor, in cii. q. 19. a. 8. in C. hæc immediatè subnectens. *Ei ideo quibusdam effectibus Deus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes, defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant.* Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia cause proxima sunt contingentes, (nam si prædeterminarentur à Deo, etiam si secundum se essent contingentes & indifferentes ad actus oppositos, prout est omne arbitrium liberum, tamen effectus voliti à Deo non evenirent contingenter) sed propterea, quia Deus voluit contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit: removendo, quidquid earum contingentiz seu

libertati obstarer, & dando cognitionem directivam indifferentem, auxiliâque indifferentia. Unde quia prædeterminatio non est præparatio contingentium causarum, etiam si procedat à primo Libero, sed quia potius est sublativa contingentiz, seu indifferentiz, neque potest dici principium quo, vel radicale, vel causale libertatis.

CONTROVERSIA X. MENSURA ÆTERNITATIS.

An Deus videat futura in sua æternitate.

33. Videtur Adversarius P. Haunoldum lib. 1. n. 256. sibi fingere hostem, quia iste non alio sensu negat, futura esse Deo realiter ab æterno præsentia, quàm quo aliqui, saltem tuo modo loquendi, illud malè affirmabant, non advertentes, aliud esse, inquit P. Haunoldus, futura in tempore coexistere æternitati Dei, quæ identificatur ipsi Deo, & est indivisibilis; aliud: accipere denominationem existentis ab æterno ab æternitate Dei; adeoq; esse Deo præsens ab æterno seu per totam æternitatem: hoc posterius quoniam tam falsum est, quàm falsum est, me per hoc, quod hic coexistam Deo, & ejus Immensitati, hoc ipso etiam esse ubique. Ita P. Haunoldus, & verissimè: Nam per æternitatis indivisibilitatem, & infinitam coextensionem ad illas temporis differentias, in quibus aliquando existent, quæ sunt futura, non possunt dici Deo realiter ab æterno præsentia, ut Adversarius existimat: æternitas Dei enim non facit creaturas ab æterno præsentia Deo, sed tantum ab æterno facit, in tempore, quo aliquando existent, Indivisibili æternitati præsentia. Unde Angelicus Doctor 1. p. q. 14. a. 8. ad 2. inquit [Scientia Dei est causa rerum, secundum quod res sunt in scientia. Non fuit autem in scientia Dei, quod res essent ab æterno. Unde quamvis scientia Dei sit æterna, non sequitur tamen, quod creaturæ sint ab æterno.]

34. Neque P. Haunoldus quoad hoc alios quosdam non ignobiles Thomistas impugnavit, quod non admiserint maiorem præsentialitatem creaturarum ab æterno, quàm merè objectivam; sed impugnavit, quod hanc præsentialitatem objectivam dixerint esse unicum medium & rationem cognoscendi futura, ac proinde dandi præsentialitatem objectivam: quia S. D. q. 14. a. 13. expressè dicit. [Omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum eâ ratione, quâ habet rationes rerum (Ideales, dantes esse obiectivum) apud se præsentia, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua

sua praesentialitate. Unde manifestum est, quod contingentia & infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantum subduntur Divino conspectui secundum suam praesentialitatem, & tamen sunt futura contingentia, suis causis comparata.]

35. Ex his tamen Verbis immerito conatur Adversarius evincere, quasi P. Haunoldus contra S. Thomam negasset, *Omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia*: Non enim negavit hanc propositionem in sensu, quo ab Angelico D. asseritur, nempe quod omnia, quae sunt in tempore, sint Deo ab aeterno existenti praesentia pro illo tempore, pro quo revera existunt, sed tantum negavit in sensu, quo videbatur dicta propositio asseri à quibusdam Thomistis, referendo particulas *ab aeterno* non solum ad Deum, sed etiam ad creaturas, tribuendo illis aliquam denominationem extrinsecam, vi cuius dicantur coeternae, coexistentes ab aeterno, & praesentes non solum aeternitati D. I. indivisibili, sed etiam per aeternitatem indivisibilem.

36. Neque verò ex negata in hoc sensu accepta propositione sequitur, quod infert Adversarius, [quod nimirum; si futura non physice ab aeterno formaliter Deo coextiterint, fuerint physice futura Deo.] Hoc ipso enim quod eadem indivisibilis aeternitas Dei & scientiae Divinae se coextendat ad creatas differentias temporis, & creatura aliquando coexistat aeternitati, nulla creatura potest dici respectu Dei futura, id est, existura post aliquam partem aeternitatis Divinae, neque dici praeterita, id est, extitisse ante aliquam partem aeternitatis Divinae: & ipsa scientia Divina ab aeterno affirmat creaturam, ut praesentem suae aeternitati toti, utpote indivisibili, sed non totaliter, adeoque vi sui moditendendi, neque dicit: *Creatura existens*: & deinde postquam creaturae auferunt suam existentiam, neque dicit: *creatura extiterunt*: sed semper invariata manens, ab aeterno, & in aeternum dicit: *Creatura existunt*, non ab aeterno, sed in eo tempore, quo actu ponantur extra suas causas, & quo proinde coexistunt indivisibili Nunc aeternitatis & scientiae Divinae. Et sic P. Haunoldus ait, aliud esse, quod creaturae ab aeterno cognoscantur & asserantur à Deo, ut sibi, aeternitati, & scientiae suae praesentes, ac coexistentes: & aliud: quod cognoscantur & asserantur, ab aeterno & pro omni tempore praesentes ac coexistentes: sicut aliud est, quod Deus ubique cognoscat, se penetrativè inexistere creaturae; & aliud: creaturam ubique existere, & Deum ubique illi penetrativè inexistere. Quod quia credo etiam Adversarium dicere cum Angelico suo Magistro loci citati, & 1. dist. 38. q. 1. a. 5. in C. prope finem, & dist. 40. q. 3. a. 1. ad 5. & I. contra Gent. c. 66. n. 6. ideo ab initio monui, Adversarium sibi fingere hostem P. Haunoldum, aliter illum

intelligendo, quam oporteret, & movendo illiorem de modo loquendi, nam in re ipsa non potest esse controversia, cum certum sit, Deum & scientiam Divinam existere per aeternitatem indivisibilem ab aeterno, creaturas autem in tempore,

CONTROVERSIA XI. SCIENTIA MEDIA.

An hac probetur ex S. Thoma.

37. Testimonia, quibus P. Haunoldus lib. 1. n. 294. & seqq. Scientiam Mediam ex S. Thoma contendit probare, non rite, quem unice reponit Adversarius, rectè dissolvitur, ideo illis in suo robore relictis, addam plura alia, longè clariora, quam quae Adv. in contrarium adducit. Si enim Deus agens liber, sui voluntatis creatus actus liberos conditionaturos, non potest infallibiliter cognoscere indecreto praedeterminante eò quod illud S. Thomae negetur, tunc ex S. Thoma insufficienter probatur Scientia media, (nam aliqua scientia conditionata dictorum actuum, utiq; ex mente S. Thomae, etiam ab Adversario, & nunc à Thomistis communiter admittitur) sed decretum praedeterminans negatur à S. Thoma: ergo ex S. Thoma insufficienter probatur Scientia media. Minorem ostendo ex 2. dist. 39. q. 1. a. 1. in C. ubi inquit Doctor. [Sciendum, quod aliquis actus ab aliquo dupliciter. Uno modo tam secundum substantiam actus, quam secundum determinationem agentis ad actum, & hoc proprie in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate, ipsa enim potentia volentis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quod determinat eum eat in hunc actum, vel in illum NB. non est ab alio determinante: sed ab ipsa voluntate.] Deinde articulo sequenti in corp. ait: [Actio enim culpa in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui habet dominium sui actus: hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quae ad plura se habet NB. nec ad aliquid eorum (sive ad entitatem, & actualitatem boni, sive mali) determinatur, nisi ex ipsa, quod tantum voluntati convenit.] In S. D. non solummodo dicit, voluntatem ab Authore naturae & ex natura sua non esse determinatam ad unum, esseque de se indifferentem ad actus oppositos; sed addit illam à seipso determinari, nisi à seipso, adeoque neque à primo Libero causaliter tolli indifferentiam, quae formalis determinatione, seu ab ipso exercitio libertatis essentialiter supponitur. Idem expressis verbis jam supra docuerat dist. 25. q. 1. a. 1. in C. & ad 3. Ubi cum duo officia circa actionem liberi arbitrii Deo assignasset, nempe dandi voluntatem indifferentem, & praestandi physicam cooperationem.

perationem, seu simultaneum influxum tertium Officium determinandi ipsam virtutem indifferenter, & faciendi, ut Deus potius ad hanc, quam ad aliam actionem influat, non ipsi Deo, sed libero arbitrio creato attribuit, dicens [In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi (hoc est, arbitrio) ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen NB. determinatio actionis, & finis, in potestate liberi arbitrij constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus; licet non ita sicut primo Agenti] primo enim Agenti competit Dominium eminens, quod habet in omnes creaturas, quatenus propter suam gloriam extrinsecam, sibi tanquam ultimo Fini intentam, ipsas & causas earum secundas libere producit.

38. His accedit duplex clarissimum testimonium ex q. 3. de potentia a. 7. ubi cum in duodecimo arguente S. Doctor sibi objecisset. [Eccles. 15. dicitur, quod DEVS fecit hominem & reliquit eum in manu consilij sui: non autem reliquisset, si semper in voluntate operaretur: ergo non operatur in voluntate operante.] Sic sibi respondit: [Dicendum, quod DEVS non dicitur, hominem dereliquisse in manu consilij sui, quin in voluntate operetur: sed quia Voluntati hominis dedit dominium sui actus, NB. ut non esset obligata (id est, restricta, & determinata) ad alterutram partem contradictionis] Deinde in responsione ad 13. inquit [Dicendum, quod Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causae primae, sed quia causa prima non ita agit in voluntatem, ut eam de necessitate NB. ad unum determinet; sicut determinat naturam, (id est, Substantiam, quae non ex voluntate, sed ex natura sua operatur) & ideo determinatio actus relinquatur in potestate rationis, & voluntatis] Quid his textibus ad compellendum Rissum Adversarij, & ad tollendam praedeterminationem physicam, adeoque ad substituendam scientiam independentem a decreto praedeterminante, opportunius dici posset? cum his tamen de claritate concurrant adhuc alij tres, quorum duos hac controversia n. 4. & tertium in fine controversiae. 27. n. 131. afferimus.

39. Ad textus ab Adversario allatos facile responderetur. Nam quando D. Thomas 1. p. q. 16. a. 7. ad 3. inquit; [Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset; quia in causa sua erat, ut fieret; unde sublatam causam non esset futurum illud fieri: sola autem causa Prima est aeterna; unde non sequitur, quod ea, quae sunt, semper fuit verum, ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura; quae quidem causa solus est Deus.] Responsio supeditatur nobis ab ipso S. Doctore art. cit. in C. & in eadem q. 16. a. 1. in l. 1. & ad 3. Ubi veritatem proprie dictam ait, non esse in rebus intelli-

gibilibus tanquam in subiecto, sed esse in intellectu, sicut sanitas est in animali; unde solam veritatem formalem agnoscit pro veritate proprie dicta: res autem dicit denominari veras veritate extrinsecam, sicut urina & medicina denominatur sana. Et quia veritas formalis, quae est in Intellectu Divino, etiam est causa absolute futurorum; hinc eatenus verum est veritate proprie dicta, illa esse futura, quatenus existit causa verificans futuritionem veritate proprie dicta.

40. Econtra, quia quae videntur a Deo, ut conditionate futura, nondum videntur ut absolute aliquando existentia, sed tantum quod essent aliquando exitura, & quod essent causanda a Deo, si conditio poneretur; ideo secundum solam possibilitatem suam, non autem secundum existentiam, quam nondum habent, sed haberent, absolute dependent a scientia Dei, seu veritate formali; verificantur tamen etiam quoad futuritionem conditionatam a veritate proprie dicta, licet suam veritatem objectivam & fundamentalem, seu ipsam cognoscibilitatem per actum essentialiter verum, non habeant a scientia Dei, seu veritate formali, sicut urina & Medicina sui ordinis, & fundamentum comparabilitatis non habent a sanitate, sed ad sanitatem. Et sic nulla veritas proprie dicta habetur independentem ab Intellectu Divino, sed solus Deus est prima & aeterna veritas proprie dicta; quamvis Cognitio Divina logicè, seu quoad subsistendi consequentiam (ut supra n. 29. ex S. Thoma 1. p. q. 14. a. 8. ad 1. diximus) praesupponat conditionatam futuritionem, tanquam veritatem fundamentalem, seu denominabilem a prima veritate proprie dicta, utpote ad quam non ipsa cognitio Divina determinat, sed a qua aliquo modo determinatur, non velut a causa, per se vel per species sui vicarias producente cognitionem, sed velut a termino & ratione objectivam, propter quam Deus potius habet rationem cognitionem, quam aliam veritatis fundamentalis oppositam. Unde quando S. Doctor q. 16. a. 1. ad 3. inquit, [Dicendum, quod licet veritas intellectus nostri a se causetur, non tamen oportet, quod in re prius inveniatur ratio veritatis, sicut neque in Medicina prius inveniatur ratio sanitatis, quam in animali. Virtus enim Medicinae non finitas ejus causat sanitatem: cum non sit agens Univocum. Et similiter esse rei, non veritas ejus causat veritatem intellectus.] Eadem ratio applicari potest rei conditionate futurae, a scientia Media formaliter verificatae, quia ista, etsi non causet, est tamen ratio, ut intellectus divinus, de se indifferens, habeat illius determinatam cognitionem.

41. Ad illos textus, quos Adversarius allegat, ex 1. p. q. 14. a. 5. ubi S. Thomas asserit, quod Deus alia non videat, nisi in seipso, ut in causa, ad quod ex 2. 8. requiritur conjuncta voluntas

B 3 &

& q. 2. de veritate a. 12. ad 7. ubi S. Doctor notat per futurum designari Ordinem, qui est in causis illius rei ad ejus Productionem. Respondetur, ex his non plus probari, quam quod quæ sunt absolute futura, ea videat Deus in seipso, tanquam in causa volente, & quod hæc Ordinem habeat ad eorum productionem. Quoad conditionatè autem futura, sicut non sunt futura, sed essent futura, si conditio p. neretur, sic Deus nec habet rationem causæ, nec ordinem ad illorum productionem, sed solummodo esset habiturus, adeoque non potest illa videre in seipso tanquam in causa. Itaque citati textus intelligendi sunt de scientia visionis strictè dicta, seu de cognitione absolute futurorum, ut legenti totum contextum est evidens: de his absolute futuris etiam intelligendum est id, quod 1. Per iher. lect. 14. dicit S. Doctor. [Ex voluntate divina originari necessitatem & contingentiam in rebus,] quod quæ ratione fiat, dixi supra, n. 32. similiter quando 1. dist. 39. q. 1. a. 1. ad 5. ait: [Dicendum, quod licet esse, & scire, sint idem secundum rem; tamen scire sequitur voluntatem ut imperatum ab ipsa, esse autem non: & ideo esse suum non subiacet libertati voluntatis, sicut scire operativum creaturæ:] ex his ipsis postremis verbis, uti & ex toto illo articulo patet, S. Doctorem sermonem instituere de scientia, quæ oritur ex voluntate absolute operativâ, seu productivâ creaturarum, quarum existentiam ita ab æterno decernit, ut potuisset non decernere, & consequenter etiam non scire, de quo ibidem quæstio in titulo proponebatur. *Item scilicet Deus possit non scire illud, quod est scitum ab eo.* Eadem est mens S. Doctoris ad Ambaldum 1. dist. 38. q. 2. a. 1. Idem S. Doctor de actibus nostris liberis absolute futuris, & ratione suæ honestatis, vel inhonestatis, positivè vel permixtivè à Deo prædefinitis per decretum impletivum conditionis, sub qua per scientiam mediam prævidebantur conditionatè futuri, in 3. contra Gent. c. 66. dixit: [Deus voluntates nostras, sicut & alios suos effectus cognoscit per hoc, quod est nobis causa volendi] scilicet videndo nostras volitiones in suo decreto prædefiniēte, prout priùs 1. contra Gent. c. 68. dixerat [Deus scit nostras voluntates, videndo suam voluntatem] & in argumento tertio ibi tem. [sicut Deus cognoscendo suum esse, cognoscit esse cuiuslibet rei ita cognoscendo suum intelligere & velle, cognoscit omnem cogitationem & voluntatem:] Quo sensu etiam S. Aug. lib. de Prædest. Sanct. cap. 10. scripsit: [Prædestinatione Deus omnia præcivit, quæ fuerat ipse facturus.]

42. Ad textum 1. 2. q. 109. a. 2. ad 1. ubi ait S. Thomas: [Mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri à Deo; & multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod

impeditur à bono per corruptionem naturæ.] utiq; hominem indigere, moveri à Deo per illustrationes, & gratiam excitantem, sed non prædeterminari. Unde patet, quid ad alios textus, similes illi priori, respondendum sit. q. 3. de malo a. 2. ad 4. [Cum aliquid movet seipsum non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quod seipsum movet; & sic non repugnat libertati, quod Deus est causa actus liberi arbitrii.] 1. p. q. 101. a. 4. ad 1. [Moveri voluntarie est moveri ex se, id est, à principio intrinseco: sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco, & sic moveri ex se non repugnat ei, quod est moveri ab alio:] 1. 2. q. 112. a. 3. in C. [Præparatio ad gratiam potest considerari secundum quod est à Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quodem coactionis, sed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non potest. Secundum quod Augustinus dicit lib. de prædest. Sanct. quod per beneficia Dei certissime liberantur, quicunque liberantur. Unde si ex intentione Dei moventis est, quod homo, cuius cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequatur.] 1. q. 6. de Malo a. 1. ad 3. [Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam voluntatis moventis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis mortæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.] 1. q. 6. de veritate a. 4. ad 3. [Deus in voluntate agit non per modum necessitatis, quia Voluntatem non cogit, sed movet eam non auferendo ei modum suum, qui in libertate ad utrumlibet consistit; & ideo quamvis Divina voluntas nihil resistat, tamen voluntas, & quælibet alia res, exequuntur Divinam voluntatem secundum modum suum, quia & ipsum modum Divina voluntas eis dedit, ut sic ejus voluntas impleteretur, & ideo quidam expleant Divinam voluntatem necessitè, quidam contingenter, quamvis illud, quod Deus vult, semper fiat.]

43. His, inquam, testimonijs potius confirmatur, non dari prædeterminationem, quia illustrationes internæ, & auxilia supernaturalia dirigentia ac allicientia voluntatem, collata à Deo ex infallibili scientia conditionata libera nostræ cooperationis, & ex intentione divina nostrorum actuum liberorum, directi prædicta scientia, sunt vera motio, (sed non prædeterminatio secundum se cum actu opposito inconiungibilis) procedens à primo principio libero extrinseco, estque hæc motio necessitè consequentis ac infallibilis, quæ repetitur in præscientia conditionata atque intentione absolute Dei moventis, necessitè coniungenda cum actu meritorio gratiæ, & consequenter cum ipsa gratia; ita ut voluntas creata & mortua, divina voluntatem, ex efficaci intentione electæ

vam talis motionis, cui Deus per scientiam mediam seu conditionatam praevidit, voluntatem creatam non restitutam, non possit immutare, eique amplius resistere; sed solummodo potentia antecedente, & praesupposita ad proprii actus liberam determinationem potuisset impedire, ut cum ista motione interna non conjungeretur talis actus, utque ista motio non processisset ab hac praescientia, & intentione efficaci, sed a praescientia ac permissione actus contrarii: juxta Trid. sess. 6. can. 4. expressè asserens, *liberum hominis arbitrium à Deo motum posse dissentire, si velit.*

44. Quae omnia, nempe Efficacia Divinae motionis, & libertas arbitrij creati, in sententia adversariorum cum praedeterminatione physica conciliari non possunt, ut ex Cont. seqq. patebit, & optimè agnovit S. Thomas q. 6. de malo, quae tota est de libero arbitrio, & habet art. Unic. ibi in corpore art. post medium, ut conciliaret libertatem cum Divina motione, expressè dixit, voluntatem à Deo relinqui indeterminatam, objectivè verò determinari ab ipso objecto, alliciente & movente in genere causa finalis: Verba S. D. sunt haec, quae poterunt addi prioribus textibus pro Scientia media ex S. Thoma probanda adductis. [Relinquitur quòd id, quod primò movet voluntatem & intellectum, sit aliquid supra voluntatem & intellectum, scilicet Deus, qui cum omnia moveat secundum rationem mobilem, ut levia sursum, & gravia deorsum, etiam voluntatem movet secundum ejus conditionem, non ut ex necessitate: sed NB. ut indeterminatè se habentem ad multa. Pater ergo, quòd si consideretur motus voluntatis ex parte exercitij actus non movetur ex necessitate: si autem consideretur motus voluntatis ex parte objecti determinantis actum voluntatis ad hoc vel illud volendum, considerandum est, quòd objectum movens voluntatem est bonum conveniens apprehensum.] Et ibidem, ut ostendat S. D. non dari à Deo aliquod infallibile, & infrustrabile, seu in causando inimpedibile Reductivum voluntatis ad suum actum, (quod Adversarius Praedeterminationè physica appellat) haec sibi objiciens: [Si voluntas respectu ad aliqua voluntatem non ex necessitate moveatur, necesse est dicere, quòd se habeat ad opposita, quia quòd non necesse est esse, possibile est, non esse: sed omne, quòd est in potentia ad opposita, non reducit in actum alicujus eorum, nisi per aliquod ens actu, quòd facit illud, quòd erat in potentia, esse in actu. Quòd autem facit aliquid esse actu, dicimus esse causam ejus. Oportet ergo, si voluntas aliquid determinatè vult, quòd sit aliqua causa, quae faciat ipsam hoc velle. Causa autem posita necesse est effectum poni, ut Avicenna probat; quia si causa posita adhuc est possibile effectum non esse, indigebit adhuc alio reducens de potentia in actum: & sic primum non erit sufficiens causa.] Respondet [Ad

decimum quintum. Dicendum, quòd non omnis causa ex necessitate inducit effectum etiam si sit causa sufficiens, eò quòd causa potest impediri, ut quandoque effectum suum non consequatur, &c. Sic ergo, illa causa, quae facit voluntatem aliquid velle, NB. non oportet, quòd ex necessitate hoc faciat, quia NB. potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari, vel removendo talem considerationem, quae inducit ad volendum (notet hic etiam Adversarius, Inductivum seu Reductivum voluntatis non constitui à S. D. in qualitate physice praedeterminante, sed in aliqua Consideratione) vel considerando oppositum, scilicet quòd hoc, quòd proponitur, ut bonum, secundum aliquid non est bonum.] Ecce quàm apertè S. Doctor testetur, Motionem, seu Reductivum voluntatis non esse intrinsecè & essentialiter ac inimpedibiliter connexum cum actu voluntatis, sed relinqui voluntatem adhuc indeterminatam, ac indifferentem, ut possit etiam ipsam Motionem, & causam sufficientem ad inducendum, ac inclinandum, impedire, ut quandoque effectum suum non consequatur.

45. Ad textum 1. d. q. 14. a. 8. ad 1. respondit in Contr. 8. n. 27. & 29. Quando verò in eodem art. ad 3. S. D. ait: [Sicut scibilia naturalia sunt priora, quàm scientia nostra, & mensura ejus, ita scientia Dei est prior, quàm res naturales, & mensura ipsarum] Resp: S. Doctorem, ut patet ex corpore articuli, expressè loqui de rebus naturalibus absolute existentibus, quatenus Deus per scientiam suam eas causat, ut artifex, non autem de existentibus conditionatè, secundum quem statum eas non causat; cum secundum istum nullum habeant esse absolutum, sed haberent positam conditionem. Ceterum, neque secundum hunc statum res naturales sunt priores scientiæ Dei per prioritatem physicam, vel naturæ, sed tantum per prioritatem logicam, id est, per prioritatem à subsistendi consequentiâ, quatenus sunt ratio illativa scientiæ, & non ipsa scientia est ratio illativa rerum, ut solum conditionatè extiturarum: quemadmodum citatà contr. 8. ex Angelico Doctore & aliis Patribus clarè ostensum est. Neque res sunt mensura veritatis Divinae formalis, licet sint ratio objectiva habendi earum cognitionem; ista enim est per se ipsam, & independentè à concursu causali rerum infinite vera, & infinites magis certificatur per veritatem suam formalem, reflexè cognitam, quàm ulla veritas objectiva creata certificet.

46. Ad textum in quodlib. 12. a. 3. ubi ait S. D. [Praedestinatio habet certitudinem ex parte scientiæ Dei, quae non potest falli: & ex parte voluntatis Divinae, cui non potest aliquid resistere.] quòd etiam indicat q. 6. de veritate a. 3. ad 4. iniquens. [Causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum pra-

prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subiacet.] Resp. voluntati Divinæ non posse aliquid resistere in sensu paulò antè explicato, etque causam secundam subiacere, non ut prædeterminandam, sed ut adjuvandam à Deo per liberam electionem auxiliorum, sub quorum conditione infallibiliter Deus prænovit, qualis actus foret ponendus, & utrum per decretum prædestinationis vel reprobationis sint conferenda. Quæ responsio apertè indicatur proximè cit. art. in C. ita loquente S. Doctore: [Liberum enim arbitrium deficere potest à salute: tamen in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel si cadat, quòd resurgat: sicut ex orationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur ad salutem.] Atqui si S. D. agnovisset prædeterminationem, eam, distinctè recensendo alia adminicula, non tantum non debuisset præterire, sed omnium loco sufficisset nominasse, illaque collata liberum arbitrium non posset deficere à salute.

47. Ad id, quòd dicat Adversarius ex 1. p. q. 19. a. 7. ad 2. manifestè deduci, quòd S. Thomas admittat decreta absoluta ex parte subjecti, sed ex parte objecti conditionata. R. id quidem non manifestè deduci, sed solum quòd absolutè dentur & cognoscantur à Deo exigentiæ causarum secundarum, exque etiam à Deo revelentur, quibus tamen Deus absolutè decernit, & efficit contrarium. Caterum, etiam si deducerentur manifestè decreta saltem virtualiter conditionata, tamen non deducuntur talia, qualia negat P. Haunoldus, quæ scilicet non tantum prædeterminant existentiam virtutis activæ, & auxilij indifferentis, sed ipsum actum secundum, idque faciunt independentè à conditionata prævisione illius.

CONTROVERSIA XII.

PRÆDETERMINATIO PHYSICA.

An hæc se teneat ex parte Actus Primi.

48. Merito supposuit P. Haunoldus lib. 1. n. 486. *Prædeterminationem physicam, prout à suis asseritur Authoribus, tenere se ex parte actus primi proximi, & non relinquere potentiam proximam indifferenter ad actus oppositos.* Licet enim non se habeat per modum *Virtutis in actu primo*, sed sit *Virtutis applicatio*, non tamen sequitur, quòd non se teneat ex parte actus primi proximi: quia ex parte huius non tantum se tenet Virtus agendi, sed quidquid Virtutem reddidit proximè expeditam ad agendum, & ad effe-

ctum pro priori naturæ præsupponitur: sic consilium, imperium, cognitio directiva, applicatio agentis ad passum, non sunt partialis Virtutis, & tamen tenent se ex parte actus primi proximi & Beati in cælo non dicuntur in actu primo proximo liberi libertate indifferentiæ ad amandum Deum, quia licet visio intuitiva Dei tollens indifferentiam voluntatis, eamque determinans ad amorem, non sit partialis voluntas seu virtus volitiva, tamen cum voluntate, inimpedibiliter pro priori naturæ præsupponitur ad amorem. Male ergo confundit Advers. hæc duo: *requirit per modum Virtutis in actu primo: & tenere se ex parte actus primi*, seu totius complexi, quòd pro priori naturæ præsupponitur ad actum secundum, fore deinde in illo complexo gerat officium Virtutis activæ, sive cognitionis directivæ, sive applicationis, sive reductivi in actum secundum. Quid autem prædeterminatio physica, quæ secundum Adversarium est reductiva liberi arbitrii in ipsum actum secundum, ad istum præsupponatur, ut prior natura, sine dubio fatetur ipse, quia de prædeterminatione physica exponit illud S. Thomæ 3. cont. Gent. c. 149. *Motio movens præcedit motum mobilis ratione & causa.* Quæ verba, more militum occupata tormenta bellica quoadque in hostem vertentium, sic in adversarium intorqueo. Si prædeterminatio physica se non tenet ex parte actus primi, tunc S. D. per illa verba nullam agnovit prædeterminationem physicam, quia per ipsa designavit motionem moventis, quæ præcedit motum mobilis ratione & causa, quod autem præcedit ut causa, sive physica, sive moralis, tenet se ex parte actus primi: ergo si prædeterminatio non se tenet ex parte actus primi, non est illa motio præcedens, designata à S. Thoma.

49. Confirmatur ex eodem S. D. Vel prædeterminatio physica non est auxilium, quod Deus adjuvat hominem de se insufficientem ad bene operandum, vel ipsa tenet se ex parte actus primi: si Adversarius fateatur primum, tunc S. D. per motionem non intellexit prædeterminationem, quia per motionem expressè denotavit auxilium, relatis verbis hæc immediatè subiungens, ostendens, quòd homo non sit causa meritorum suæ motionis, sed *motio sit causa meriti.* [Non igitur, inquit, propter hoc datur nobis auxilium divinum, quia nos ad illud per bona opera promovemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia divino auxilio prævenimur.] Si ergo adversarius concedat prædeterminationem esse ipsum auxilium, & neget alterum membrum, tunc iterum contradicit S. Doctori, quia iste auxilium vocat causam, causa autem utique se tenet ex parte actus primi, & cap. 148. n. 2. de illo auxilio ita scribit. [Divinum auxilium sic intelligitur ad bene agendum homini adhiberi, quòd in nobis nostra opera operatur: sicut causa prima operatur operationes causarum secundarum, & agit

agens principale operatur actionē instrumenti.] Idem S. D. cap. 147. n. 5. auxilium divinum ait homini esse necessarium, tanquam remotionem impedimentorum: atqui ista tenet se ex parte actūs primi proximi, sicut solutio vinculorum, etiam si non sit partialis Virtus ambulandi. Unde patet, ab Adversario immerito obijci P. Haudnoldo, cum hoc ipso, quod Dei concursus simultaneum admittat, prædeterminationem negare inconsequenter: nam admittit solummodo concursus simultaneum in actu secundo, ita ut nec Deus, nec liberū arbitrium creature, prius ponat actionem, quæ est actuale exercitiū libertatis creatæ: hæc autem actio nec est ipsa prædeterminatio, nec præsupponit prædeterminationem, sed præmotionem, seu collatum auxilium supernaturale, cui Deus per Scientiam mediam prævidit, hominem non resistitur, & ex suppositione suæ prævisionis neque posse resistere, quamvis potuisset hanc suppositionem, seu prævisionem impedire: quod 8. & 9. & 11. Controversiâ ex S. Thomæ pluribus testimonijs ostendi; quomodo scilicet supposita potentiâ resistendi antecedente, sed non consequente ad dictam suppositionem, Deus movendo voluntarias causas non auferat (prout tamen per prædeterminationem physicam, in existendo & determinando inimpedibilem, auferret) quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis faciat: juxta S. D. 1. p. q. 83. a. 1. ad 3.

50. Quia verò hæc assertio Adversarij [quod prædeterminatio physica non se tenet ex parte actūs primi proximi] est præcipuum & ferè unicū effugium contra argumenta ex libertate arbitrij humani petita, ideo via magis illi obstruenda est. Prædeterminatio secundum ipsum est applicatio voluntatis ad actum volitionis, & consequenter requiritur pro priori naturæ ad hoc, ut voluntas sit proximè & completè potens exire in suum actum, sicut approximatō ignis requiritur ad hoc, ut potentia illius calefactiva, vel combustiva possit exire in actum secundum extraneum, ut epim formaliter exeat in actum secundum, id præstat ab actione, & non ab applicatione, quæ potius est ultima actuatio actūs primi proximi, quàm actūs secundi: sed quidquid requiritur pro priori naturæ ad hoc, ut potentia possit exire in suum actum secundum, & quidquid ita requiritur, quemadmodum approximatō agentis in passum extraneum, tenet se ex parte actūs primi proximi: ergo prædeterminatio tenet se ex parte actūs primi proximi. Unde inter prædeterminationem, & actionem creaturæ, quæ se tenet ex parte actūs secundi, hoc est discrimen, quod actio creaturæ non pro priori naturæ requiratur ad exercitiū causæ creatæ, sed sit ipsum exercitiū; prædeterminatio autem physica à solo Deo posita, non sit exercitiū causæ creatæ, ac liberæ, sed præsupponatur ad illud, ut ipsum possit poni.

51. Confirmatur secundò, quod prædeterminatio physica includatur in actu primo proximo,

& non in actu secundo. Quidquid vel, ut quo, vel ut quod, se tenet ex parte actūs secundi, debet esse effectus actūs primi, debetque poni ab arbitrio creato, cui adscribitur & imputatur totus actus secundus, aliàs certè ipse potius deberet adscribi illi causæ, quæ inchoavit actum secundum, & quæ posuit primam partem inimpedibiliter, ex qua inimpedibiliter sequitur posterior pars. Atqui prædeterminatio physica non est effectus actūs primi, neque ponitur ab arbitrio creato: ergo non se tenet ex parte actūs secundi, sed revocatur ad primum.

52. Confirmatur tertio. Secundum Adversarium Prædeterminatio physica datur in ordine ad positionem actūs secundi: sed quidquid datur in ordine ad positionem actūs secundi, seu in ordine ad ipsam actionem, non est actus secundus, neque tenet se ex parte actūs secundi: ergo prædeterminatio non se tenet ex parte actūs secundi. Quidquid autem non tenet se ex parte actūs secundi, & ad illum pro priori naturæ præsupponitur, tenet se ex parte actūs primi; quia inter primum & secundum non datur medium.

53. Confirmatur quarto. Si imperio, consilio, vel alio modo inducens, & applicans alterum ad agendum, hoc ipso ponit aliquid, tenens se ex parte actūs primi, tunc etiam prædeterminatio, quæ similiter pro priori naturæ existente arbitrium creatum inducitur in actum secundum, tenebit se ex parte actūs primi: neque alia solida, & ad rem pertinens disparitas potest assignari, quàm quod imperium vel consilium inducat fallibiliter, prædeterminatio autem inducat infallibiliter ad agendum; singula verò, etsi non dent posse agere, cum non sint partialis potentia, aut Virtus agendi, tamen neque dant formaliter actu agere, quia denominatio actu agentis formaliter habetur à sola actione.

54. Confirmatur quinto. Non est sufficiens ratio assignabilis, quare imperium causæ secundæ liberæ determinans & applicans potentias executivas ad suos actus, teneat se ex parte actūs primi, & non etiam decretum causæ Primæ liberæ, prædeterminans, & applicans inimpedibiliter causam secundam, teneat se ex parte actūs primi. Ergo eodem modo se tenet ex parte actūs primi: Præsertim cum secundum ipsam Adv. ab omnipotentia Dei realiter non distinguatur, & Deus in ipso, tanquam in Causa ab æterno videat effectus omnes absolute futuros.

55. Unde regula universalis, ex qua probatur multa alia se tenere ex parte actūs primi, etiam si non sint partialis Virtus agendi, convenit omnibus & solis, quæ ad actum secundum pro priori naturæ supponuntur: hujusmodi autem universalis regula traditur à S. D. 4. dist. 1. q. 1. a. 4. q. 1. in C. ubi distinguens causam à pura conditione sine qua non, id dicit habere rationem causæ, seu tenentis se ex parte actūs primi,

mi, quod facit ad inducendum effectum, vel disponendo, vel meliorando, quantum ad rationem causandi: quod utique convenit ipsi inductivo causæ, ad effectum pro priori naturæ præsupposito.

§6. Denique ostendo, quod si prædeterminatio & decretum prædeterminans dicatur ingredi actum primum, siue non, tamen non relinquat potentiam proximam indifferentem seu liberam ad actus oppositos. Esse indifferens pro priori naturæ ad actus oppositos, est non esse inimpedibiliter determinatum pro priori naturæ ad certum actum: atqui prædeterminatio physica, hoc ipso, quod inimpedibiliter præcedat pro priori naturæ, & ponatur in eodem signo, quo potentia deberet esse indifferens ad actus oppositos, non relinquit potentiam dicto modo indeterminatam, ergo non relinquit indifferentem. Unde non potest libertas indifferentiæ salvari per hoc, quod libertas causæ secundæ contineatur in libertate Causæ primæ, & prædeterminatio unice proveniat à Causa prima: nam etiam Visio Beatifica provenit, & confertur à Causa prima, quia tamen Voluntatem determinat, & rapit ad amorem sui objecti, ideo tollit indifferentiam proximam, seu libertatem à necessitate, solūque relinquit libertatem à coactione.

§7. Neque dicat Adversarius, esse disparitatem cum visione Beatifica, eod quod hæc non relinquat iudicium indifferenter proponens objectum oppositum amoris. Nam sicut per Visionem beatificam non relinquitur iudicium indifferens, sic per prædeterminationem physicam non relinquitur potentia electiva actus proximè indifferens: etiam si enim per hanc non tollatur cognitio sua ipsa oppositi, adeoque nihil immutetur ex parte actus directivi, immutatur tamen aliquid ex parte potentie effectivæ: & hac ratione proxima libertas indifferentiæ non tollitur intentionaliter, sed physice, propter prædeterminationem physicam.

CONTROVERSIA XIII.

LIBERTAS INVIOLATA.

Qualis Prædefinitio seu Determinatio actus non tollat libertatem.

§8. IN hoc titulo non proponit Adversarius novam difficultatem, quæ non abunde soluta sit in controversia 9. sed solummodo repetit synonymos textus, in quibus quia reperit verbum *Prædetermino*, statim putavit, Angelicum Doctorem loqui de *Prædeterminatione physica*, à P. Haunoldo lib. 1. n. 283. propter incompos-

sibilitatem libertatis negat. Priorem textum ex S. Thoma ad Annibaldum 1. dist. 47. q. Unica. a. 4. ita allegat. [Voluntate Dei, quæ est causa rerum, non solum res in esse producantur, sed etiam rebus producendis modum prædeterminavit: unde cum voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet, quod res fiant, & eo modo fiant, quo Divina voluntas disposuit, disposuit autem Deus, ut quædam fierent contingenter.] Verum hæc verba: *modum prædeterminavit*, non significant, quod actum liberum prædeterminaverit decernendo qualitatem ab arbitrio creato inimpedibilem, & inimpedibiliter connexam cum actu, per decretum similiter inimpedibile: sed tantum pariunt hunc sensum, quod DEVS prædeterminaverit, id est: decreverit, & præparaverit causam proportionatam rebus, nempe rebus necessariis præparaverit causam necessariam, & determinatam ad illas, contingentibus autem seu liberis præparaverit causam contingentem, & indifferentem ad actus oppositos: hanc explicationem ipse S. D. in suo textu clare expressit: quem Adversarius propterea corruptè tulit, & sui Sancti Magistri verba circumdedit, quæ tamen ego fideliter exscribam, ea sic sonant. [Voluntate Dei non solum res in esse producantur, sed etiam rebus producendis, modum, quo producantur, prædeterminavit. Unde cum voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet, quod res fiant, & eodem modo, sicut voluntas Divina disposuit. Disposuit autem DEVS ad completionem Universi, ut quædam fierent necessario, & his NB. præparavit causas necessarias etiam secundas, quædam verò, ut fierent contingenter, & his NB. præparavit causas secundas contingentes: & ideo Divina voluntas rebus necessitatem non imponit.] Notet hæc ultima verba Adversarius: & advertat cum quali prædeterminatione à S. Thoma libertas salvetur, & quomodo ea non salvetur, nisi præparatur causa seu actus primus proximus indifferens ac imprædeterminatus, qui proinde suum modum operandi contingenter ac libere in se continet à Deo causatum, & ad operationem liberam præparatum.

§9. Adducit Adversarius ex quodam, n. a. 5. etiam hunc textum. à providentia Dei omnia esse prædeterminata. Verum hæc verba non a. 1. sed 4. habentur; & patet eorum sensus ex immediate dictis, sicut etiam horum verborum, contra Gent. c. 90. ubi S. Thomas exponens S. Damascenum inquit: *Damascenus dicit in secundo libro Orthodox. fid. c. 30. quod ea, quæ sunt in nobis DEVS prænotescit, sed non prædeterminat; exponenda sunt, ut intelligantur ea, quæ sunt in nobis, Divine determinationi non esse subiecta, quasi ab ipsa necessitatem accipientia.*

•••••

CON

CONTROVERSIA XIV. REPREHENSIO COROZAITARVM.

An stare possit cum prædeterminatione physica.

60. EX eo, quòd Christus Dominus Matth. 11. v. 21. exprobraverit civitatibus, in quibus, ut Evangelista inquit, factæ sunt plurimæ Virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam: *Va tibi Corozain, va tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent Virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent:* P. Christ. Haunoldus lib. 1. n. 284. contra prædeterminationem physicam cum alijs DD. hoc collegit argumentum. [Si daretur decretum prædeterminandi v.g. Tyrios & Sidonios ad pœnitentiam conditionatè, si talia signa viderent, quæ facta sunt apud Corozaitas, redderetur ridicula reprehensio, & exprobratio facta Corozaitis à Christo Domino, quòd non agant pœnitentiam qualem egissent Tyrij & Sidonij, si apud illos fuissent eadem miracula patrata. Respondere quippe potuissent optimo jure. Quid nobis exprobras Tyrios & Sidonios? quid mirum, si illi pœnitentiam egissent, visis tuis miraculis: cum ab æterno decreveris illos tunc physice prædeterminare ad agendam pœnitentiam, decreto inimpedibili: si nos pares illis prædeterminando fecisses, utique pœnitentiam ageremus. Non erat in nostra potestate facere, ut nos prædeterminares &c]

61. Istum discursum putavit quidem Adversarius per retorisionem in P. Haunoldi principia eludi posse, eò quòd juxta illa Corozaitæ Christo respondere potuissent: immeritò nobis exprobras Tyrios; nam si etiam nos poneret in illis occasionibus, ac circumstantijs, in quibus per scientiam Mediam prævidisti nos esse credituros, utique pœnitentiam ageremus. Verùm telum in vulnere Adversarij lassatum sine viribus in Autorem retorquetur: nam etiamsi in Corozaitarum potestate, his suppositis circumstantijs & occasionibus, permittatur non fuisse, ut haberent alia auxilia gratuita, in quibus per scientiam mediam prævisi fuissent credituri, atq; pœnitentiam acturi; tamen in illorum potestate fuerat, ut cum his auxilijs conjungere potuissent fidem in Christum, ac pœnitentiam, & ut Deus per scientiam mediam eorum fidem & pœnitentiam ab æterno prævidisset. Unde jure merito de neglectu collaræ potestatis, & de infidelitate ac impœnitentia à Christo reprehensi sunt. At si præter illa auxilia, quæ Corozaitæ defacto acceperunt, adhuc necessaria ipsis fuit physica prædeterminatio ad fidem, & ad pœnitentiam, & si, eam prædeterminationem habere, non fuit in illorum potestate, tunc hoc ipso non habuerunt,

nec in potestate illorum fuit habere potentiam proximam, & completam pœnitentiæ fidem, ac pœnitentiam, sine hac potentia autem proxima & completa, etiamsi habuerint remotam & incompletam, nempe liberum arbitrium cum auxilijs, destitutis necessariâ sibi prædeterminatione; tam parùm fuerunt reprehensibiles, quàm is, qui haberet quidem potentiam remotam ambulandi, sed per solutionem pedum à vinculis nondum proximè expeditam ac completam. Itaque Adversario non licet sic argumentari, quemadmodum P. Haunoldo.

62. Præterea alia adhuc est disparitas inter argumentum P. Haunoldi & retorisionem Adversarij, fundata in expressâ Autoritate S. Thomæ, ab ipso Adversario contra se incautè relati. Nam secundum principia P. Haunoldi fuit in potestate Corozaitarum, ne seiplos impedirent à talibus auxilijs & gratijs, dependenter à quibus fidem & pœnitentiam præstaturi, à Deo conditionatè prævisi fuissent: ut proinde verissimè dixerit Angel. Doctor 3. cont. Gent. cap. 159. ab Adv. adductus, & ita loquens. [Considerandum est, quòd licet aliquis per motum liberi arbitrij Divinam gratiam nec promereri nec advocare possit, potest tamen seipsum impedire, ne eam recipiat; & cum hoc NB. sit in potestate liberi arbitrij, non immeritò imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni.] At in Adversarij sententia secundum quam Corozaitæ ad ipsum impedimentum fuerunt prædeterminati, ita ut suam prædeterminationem non potuissent impedire (nisi Adversarius rursum confugiat ad aliud antè impeditum, de quo redibit quæstio, utrum etiam illud præsupponat aliud impedimentum, & sic abibitur in infinitum) & secundum quam cum prædeterminatione inimpedibili neque potuissent conjungere omissionem impediti, non fuit in potestate liberi arbitrij Corozaitarum, ne impedimentum præstarent gratiæ receptioni. Igitur Adversarius per suam prædeterminationem assertam contradicit S. Doctori, & frustra apud ipsum quærit solutionem argumenti propositi.

63. Unde denique aliam solutionem attentat, dicendo, quòd quia prædeterminatio est in potestate creaturæ terminativè, nec se habet per modum virtutis in actu primo, reprehensio Corozaitarum non fuerit ridicula. Verùm, quia supposita necessitate ac indigentia prædeterminationis ad fidem & pœnitentiam, hoc ipso, quòd prædeterminatio non fuerit formaliter & immediatè in potestate Corozaitarum, neque terminus, nempe fides & pœnitentia fuit in illorum proxima & completa potestate. Deinde contr. 12. jam ostendi, Adversarium malè confundere Virtutem in actu primo cum ipso actu primo completo, ad cuius completionem non spectat sola Virtus agendi, sed quicquid etiâ pro priori natura requiritur, ut ipsa virtus exeat in actum secundum, quòd

nisi à virtute liberi arbitrij creati sit impedibile, vel nisi sit indifferens ad utramque partem contradictionis, vel contrarietatis actus secundi, sed si *simul* sit inimpedibile, & inconjunctibile cum omissione actus secundi, hoc ipso tollit libertatem *proximam* & reprehensibilitatem agentis.

CONTROVERSIA XV. CALVINISMI DEPVLSIO.

An hæc pro Prædeterminatione Physica sit sufficienter præ- stita ab Adver- sario.

64. CUM Adversarius non ausus fuerit dicere, Franciscum Pennam Episcopum Opusculo contra dogma Calvinii pag. 62. & 63. anno 1551. incautè scripisse, dixit, P. Hauldum lib. 1. n. 284. incautè retulisse hæc illius Episcopi verba. [Negamus, duntaxat Deum omnia prævidere, quòd ita ut fieret decrevit, ut temerè asserit Calvinus: alioquin totalis quædam in rebus omnibus invehetur necessitas. Et pag. sequent. Inde autem potissimum hic manasse error videtur, quòd falsum axioma sibi constituerit Calvinus, ut omnia fieri necessariò, contingenter nihil fieri confirmaret, Deum scilicet non aliâ ratione, quæ futura sunt prævidisse, nisi quia ut ita fieret, decrevit.] Quæro, an hoc sit agere incautè, si quis referat verba, quibus à Catholico Episcopo impugnatur decretum à Calvino pro præscientia & prævisione omnium etiam conditionatè futurorum, salvandâ perperam assertum, petâtque per modum obijcientis disparitatem decreti juxta Adversarium *inimpedibile*, omnem actum liberi arbitrij creati *infrustrabiliter prædeterminantis*? quale decretum *inimpedibile* non asseruit S. Thomas 3. Contra Gent cap 56. dicens: *Deus voluntates nostras, sicut & alios suos effectus cognoscit per hoc, quòd est nobis causa volendi.* & 1. p. q. 14. a. 9. ad 3. *Dei scientia est causa rerum voluntate adjuncta.* Per hæc enim verba tantum denotatur decretum decernens auxilium seu motionem, cui juxta Trid. sess. 6. Can. 4. possit resisti, quòd decretum tamen sit essentialiter reflexum in scientiam mediam, sub conditione ponendi auxilij asserentem, quòd si daretur tale auxilium, liberum arbitrium ei non resisteret, unde decretum decernens absolute dationem auxilij, est Deo ratio videndi actum absolute futurum; qui si non fuisset futurus, Deus neque habuisset talem scientiam mediam, sed aliam, & aliud etiam decretum, decernens idem

auxilium, & absolute representans oppositum actum, à scientia media conditionatè representatum quæ omnia fusiùs declarata sunt contr. 11. Decretum prædeterminans autem ante omnem prævisionem actus à libero arbitrio creato eligendi, prædeterminat inimpedibiliter & ipsum actum secundum, & qualitate essentialiter ac infallibiliter reductivam arbitrij creati in determinatum actum secundum; ita ut eo decreto & eâ qualitate pro priori naturæ non possit arbitrium creatum nondum completè & proximè possit seipsum determinare ad talem actum, ipsa autem positis, & inimpedibilibus, nequeat consistere alius actus secundus. Petitur ergo ab Adversario, quale aliud decretum Episcopus tenna impugnaverit, ex quo totali quædam in rebus omnibus invehetur necessitas. Et quòd sit axioma falsum.

65. Dicit primò, Decretum prædeterminans non se tenere ex parte actus primi. Sed contra. Hic non quæritur ex qua parte se teneat decretum, sed quomodo differat. Deinde jam supra ostendi, quòd se teneat ex parte actus primi: & præterea quòd sufficiat, si pro priori naturæ *inimpedibiliter* præsupponatur ad actum secundum. 66. Dicit secundò, se contra Calvinii assertum Decretum asserere, quòd posita prædeterminatione ad unum maneat adhuc potentia proxima ad oppositum, consistens in sensu composito cum ipsa prædeterminatione, & quòd voluntas non solum coöperetur Deo prædeterminanti, sed liberè coöperetur. Sed iterum non assignat Adversarius discrimen ex parte decreti, eo autem non assignato infertur primum ut consequens, quòd ex decreto prædeterminante, eodem modo sequatur, non manere potentiam proximam ad oppositum, simul consistentem; (remotam autem, simul consistentem, neque Calvinus negat, utpote quæ est ipsa invariabilis essentia liberi arbitrij; multò minùs negat excitationem, sed vimiam infrufragilitatem ei tribuit) & quòd voluntas quidem coöperetur Deo, sed non coöperetur liberè, ut per tres controversias præcedentes confirmavi. Unde quia ab Adversario non assignatur aliqua oppositio vel diversitas ex parte actus primi, vel eorum, quæ juxta ipsum & juxta Calvinum pro priori naturæ præsupponuntur ad actum secundum, ex quorum *indifferencia*, vel *impedibilitate* dependet libertas *indifferencia*, & *impedibilitas* actus secundi; & quia tamen ex concessio hoc antecedenti, quòd Deus per decretum *inimpedibile* pro priori naturæ *inimpedibiliter* prædeterminet voluntatem creatam, tollatque eam *vagam indifferentiam*, Adversarius negat loqui, quòd propterea tollatur libertas *indifferencia*, Calvinus autem concedit tolli, ideo opponit quidem è diametro in doctrina Calvinio, tamen negando consequens, utpote hæreticum; obijcit tamen ipsi, cum malè negare consequentiam; quia ex concessio eodem antecedenti

videtur legitime idem inferri consequens.

67. Quandoquidem tamen ab Ecclesia non est definitum, utrum illatio sit legitima vel illegitima, sed solum: quod illatum seu ipsum consequens sit hæreticum; & quandoquidem etiam non est definitum, quod decretum prædeterminans Thomistarum & decretum necessitans Calvini in nullo discrepent; verum quia Ecclesia utrumque membrum hujus controversiæ concertationi Theologicae reliquit, & expressè prohibuit, ne partes contendentes se mutuo censuris afficiant; hinc Adversarius immerito arguit P. Haunoldum, quod non dicendo indicaverit, quid dicere velit; falsò ominans, P. Haunoldum voluisse oppositam sententiã dicere hæreticam. Quasi verò probare conclusionem Theologicam ex Scriptura, vel Concilio Ecclesiæ, vel ex deductione erronei consequentis per alicujus adversarii principia, sit dicere, Adversarium conclusionem Theologicam esse hæreticam. Aliud enim est, asserere aliquem hæreticum, & aliud, per modum argumentantis ei obijcere sequelam erroris, ab ipso met negati. Distingueret itaque oportet cum Logicis inter consequens & consequentiam, quod quidem Adversarius non fecit, quando dixit: Calvinus ideo à Trid. sess. 6. can. 4. est damnatus, quia ex hoc antecedente, [Liberum arbitrium à Deo prævenitur] consequentiam istam sinistrè formavit. Unde Haunoldus pariformiter argumentans (hic retorqueri potest, quod adversarius non dicendo indicet, quid dicere velit; sed malè assumit contra P. Haun. verbum prævenitur pro verbo prædeterminatur) viderit, quomodo se à velo hoc, quod in ipsum retorquetur, expediat. Nam Calvinus non propter meram consequentiam sinistrè formatam damnatus est, sed propter consequens, deductum ex sinistrè (ut argumentando contendimus) formato antecedenti, asserendo aliquid à Deo pro priori naturæ positum, vi cuius liberum arbitrium, verè indigens à Deo indifferenter præveniri, moveri, & excitari, ac vocari, non possit dissentire, si velit, seu non possit velle dissentire.

CONTROVERSIA XVI.

MATERIALE PECCATI.

An DEVS ad hoc prædeterminet.

68. Non frustra timuit P. Haunoldus lib. 1. n. 23, ne ex prædeterminatione physica sequeretur, quod Deus esset Author peccati. Nam S. Thomas 1. 2. q. 79. a. 2. ad 2. non solvit argumentum, quod Adversario contra prædeterminationem obijcitur ex vio-

lutione libertatis ad non peccandum, petitem; sed solvit solum id, quod sibi obijcebatur, negatque Deum esse causam peccati, seu peccatum DEO imputari, etiamsi actum peccaminosum physico concursu producat, & (ut a. 1. in corp. S. Doctor dicebat) etiamsi DEVS secundum ordinem suæ sapientiæ non det tale auxilium evitandi peccatum, quale per suam sapientiam præviderat, quod à libero arbitrio creato esset conjungendum cum evitacione peccati, sed det aliud, quod præviderat non conjungendum cum evitacione peccati, quo sensu potest quidem secundum Angelicum Doctorem DEVS aliquo modo dici causa actus peccaminosi, sed non ut peccaminosus est, quia malitia actus non potest DEO propterea imputari, quandoquidem non tenebatur dare aliud auxilium.

69. Sed neque Adversarius indirectè solvit objectum sibi argumentum, animo illud retorquendi, inquit. [Si propter connexionem malitiæ cum entitate actus, DEUS non possit prædeterminare ad hanc, quin etiam prædeterminet ad illam; quomodo simultaneè concurrat ad rationem unam, quin concurrat ad alteram.] Nam vel consistit malitia in aliquo positivo, ab entitate actus realiter indistincto, vel in aliquo merè negativo: si primum, negatur suppositum, quod Deus non producat simultaneo concursu ipsam malitiam physice loquendo, quamvis eam non producat imputative, quia non tenebatur negare suum concursum. Si secundum: facile iterum negatur suppositum, quod puræ negationes possint produci per aliquem concursum physicum exigentem terminari immediate tantum ad aliquid positivum: nihilominus tamen diceretur DEVS prædeterminare ad ipsam malitiam mediatè, quia non tantum ex Dei cōcursu ad entitatem actus mediatè poneretur ejus malitia, sed etiam non posset hæc malitia impediri ab arbitrio creato, quia entitas actus non posset impediri, ex quo per connexionem infallibilem & necessariam sequitur malitia. Itaque retorasio argumenti in concursum Dei in actu secundo, neque sublativum libertatis, neque imputabilem Deo, prorsus invalida est.

70. Quando verò Adversarius difficultatem decreti prædeterminantis ulterius retorquet in decretum, juxta P. Haunoldum lib. 2. n. 455. applicans omnipotentiam divinam ad concursum disjunctivum, ita tamen, ut Deus potius ex se intendat, & desideret actum bonum, P. Haunoldus nec gravatè assignat disparitatem, nec difficultatem auget. Si enim omnipotentia Dei per decretum applicatur indifferenter, ut cum libero arbitrio creato parata sit concurrere, vel ad actum bonum, vel ad malum, prout ipsum libere se determinaverit, utique est evidens disparitas cum decreto inimpedibiliter prædeterminante arbitrium creatum ad entitatem actus, realiter indistincti, vel inseparabilis à malitia. Diff-

C; ficultatis

ficulatis augmentum autem, quod ab Adversario his verbis obijciunt. [Etenim modus ille concurrendi indifferenter, utpote Vagus, & confusus, reddit Deum similem piscatoribus, qui mittunt rete in mare, ignorantes, quos pisces capient.] A P. Haunoldo lib. 1. n. 408. jam sublatum est; ubi negavit suppositum Adversarii, sibi imaginantis, quod decretum offerens concursum sit formaliter & vi sui modi tendendi disjunctivum, aut indifferens ad actum bonum vel malum, sed propter suam impedibilitatem asseruit virtualiter seu æquivalenter disjunctivum; quatenus in potestate liberi arbitrii creati est, facere, ut DEUS vel actum bonum vel malum prævideret conditionatè ponendum, & ut dependenter ab hac scientia obtulerit suam omnipotentiam per decretum impedibile, sed determinatum ex parte objecti ad illum actum, ad quem conditionatè prævidendum ab arbitrio creato fuit determinatus.

71. Adde, quod etiam si admitteretur decretum formaliter disjunctivum, cuius probabilitatem ostendit P. Haun. lib. 1. n. 402. tamen DEUS non esset similis prædictis piscatoribus, quia per scientiam mediam, sub certa conditione ponendi actus repræsentativam, & per decretum decernens ipsius conditionis existentiam, ab æterno prævideret executionem sui concursus ad actum determinatum arbitrii creati.

72. Æque parum difficultatis habet, quod Adversarius in fine subjungit, dicens. [Neque minus est ridiculum asserere, quod Deus decernat concurrere cum homine ad levandum pondus aliquod, diceret: Ego te adjuvabo ad tollendum hoc pondus, si illud tollas.] Nam iterum negatur suppositum, fundatum in ignorantia modi tendendi, quo decretum solummodo virtualiter disjunctivum decernit concursum in actu secundo; sic enim erat formandum: Quia video, quod indigentia & insufficientia liberi arbitrii creati exigeret meum concursum potius ad hunc, quam ad alium actum à se liberè ponendum, si constitueretur in talibus circumstantiis, & quia in his illud constituam, ideo cum eo concurram ad hunc actum. Imò etiam si admitteretur decretum formaliter disjunctivum, præcedens scientiam mediam (quod tamen necessarium non esse, P. Haunoldus n. 406. optimè ostendit) tamen illud non efformaretur modo expresso ab Adversario, sed vel non esset etiam conditionatum, vel pro conditione importaret non ipsi velle arbitrii creati, verum scientiam mediam, & actum primum proximum, prærequisitum ad actum secundum ipsius volitionis.

73. Ut autem Adversarius difficultatem à se asserti decreti prædeterminantis ad entitatem peccati, & vim argumenti magis experiatur, quod sequela, ab ipsomet contra se deducta, contemptim transilire nitebatur (ut consuevit agere

etiam in alijs locis) inquit: Dum prædeterminatio ex illo Iacobi 1. Deus inentator malorum est, impugnatur impertinenter; an non sequitur, de ipsi posse ex ps. 49. dici consequenter, si videbas furum, currebas cum eo? (quæ verba non ad exprobrandum concursum Dei, teste S. Thoma 1. diff. 27. q. 2. a. 2. in C. abique periculo erroris inanebatur in omnem actum arbitrii creati, sed ad expugnandum concursum prædeterminantem, vel potius præcursum insuperabiliter trahentem in peccatum, apta sunt) sic totius discursus vigorem ac robur in aciem educo.

74. S. Iacobus in epistola sua cap. 1. v. 11. inquit. [Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim inentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentie, cum conceperit, parit peccatum.] Sublime, Atqui si Deus etiam peccata conditionatè vel absolute futura præcitat per decretum inimpedibiliter voluntatem humanam prædeterminans, & per qualitatem inimpedibilem, atque cum peccato futuro essentialiter connexam, pro prioris naturæ inditam voluntati humanæ, tunc futuris & insuperabiliter tentat hominem, quam tenetur à propria concupiscentiâ sensitivâ, adurbationi subjectâ, vel ab ipso diabolo, qui recte S. Augustino latrare potest, mordere non potest; neque ullum foecundius semen potest excogitari prædeterminatione physica, quam cum voluntas conceperit, parit peccatum. Vnde Deus potiori jure posset dici author peccati, quam qui solum per jussionem vel consilium, à peccatore adhuc liberè contemptibile, concurreret.

75. Ad hoc argumentum respondent Thomistæ communiter, in quovis peccato distinguendo duos conceptus objectivos, unum vocant entitatis, seu actualitatis, consistentem in perfectione physica, & bonitate transcendentali, quam qualibet creatura habet, ut ens actu existens. Alterum appellant deformitatis moralis, seu malitiæ, si hæc in privativo, si in positivo consistat, nempe si sit aliqua negatio, inimpedibiliter consequens actum peccaminotum, si sit ipse actus peccaminosus, prout est difformis legi divinæ, & dictamini rationis. Primum conceptum objectivum dicunt esse materiale peccati, posteriorem esse formale, perinde ferè, sicut animal est genus, & rationale est differentia; ex quorum utroque constituitur tota definitio metaphysica, seu essentia hominis. Hoc supposito respondent, Deum per decretum positivum tantum prædeterminare entitatem, seu actualitatem peccati specificativè sumptam, non autem reduplicativè, seu determinare ad materiale peccati, non autem ad formale; ad hoc enim, ajunt, Deum solummodo determinare per decretum permissivum, quo vult permittere malitiam peccati, & denegare auxilium speciale ad

ad illud evitandum; negant tamen propterea Deum esse autorem peccati, quia licet certius & infallibilius deformitas peccati conjungatur cum positiva prædeterminatione entitatis seu actualitatis, quam conjungatur cum jussione vel consilio, tamen ad deformitatem positiva determinatio quæ talis se non extendit, jussio autem vel consilium se extendit ad utrumque, tam ad formale, quam materiale peccati.

76. Contra hanc responsionem est 1. Quod etiam concupiscentia sensitiva non allicit ad deformitatem, quæ talem; vix enim ullus intendit malitiam formalem peccati, sed solummodo voluptatem, conducentiam, & entitatem peccati specificativè sumptam; imò plerique optarent, ut malitia & deformitas peccati abesset. Similiter diabolus tantum allicit, consilium, & impellit ad materiale, non autem ad formale peccati: quorum utrumque patet ex Gen. c. 3. v. 4. his verbis. [Dixit autem serpens ad mulierem, nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dei, scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructibus illius, & comedit.] Subsumo. Atqui diabolus & concupiscentia mulieris, verè dicitur illam tentasse, & utrique tribui potest peccatum tanquam auctori, non obstante, quod consilium & consensus directè ac positivè tantum determinaverit voluntatem mulieris ad materiale, non autem ad formale peccati, & licet diabolus intenderit formale, multi tamen suo consilio illud non intendunt, & tamen dicuntur tentatores & auctores peccati.

77. Si dicas, hoc ideo fieri, quia obligatio consulentis, vel ponentis peccatum non abstrahit à formali malitia, & morali deformitate, eaque vel per identitatem, vel infallibilem consequentiam connectitur cum materiali peccati: ad Deum autem se non extendit illa obligatio, etiamsi detur eadem connexio identitatis, vel consequentiæ; Ulterius urgeo, quod sicut Deus non obstante incapacitate ullius obligationis non potest ponere præceptum, vel consilium externum, intendens solam entitatem peccati, non autem deformitatem, eò quod jam diceretur tentans & auctor peccati, sic multò minùs possit ponere prædeterminationem physicam, internam, positivè inducendo, & magis infallibiliter determinando ad entitatem peccati.

78. Contra est 2. Licet per affectum speculativum possit præcindi malitia peccati ab alia formalitate cum illa identificata, vel infallibiliter connexa, & sic ex suppositione peccati præteriti etiam homini liceat gaudere de illius vi causandi, vel occasionandi aliquod bonum de se honestum, tamen per affectum practicum non potest præcindi, nec licet facere mala, ut eveni-

ant bona: ergo sicut propter identificatam, vel inimpedibiliter annexam malitiam peccati ad-versatur obligationi hominis, consentite in entitatem, vel quamcunque physicam bonitatem peccati, sic etiam ad-versatur infinitæ bonitati & Sanctitati divinæ, intendere ac positivè decernere entitatem, v.g. odij divini, cum deformitate morali per identitatem, vel inimpedibilem consequentiam, infallibiliter connexam. Per hoc tamen non nego, DEUM voluntate suâ quidem prohibere, sed nihilominus nolle impedire peccatum; imò etiam ad illud tam quoad entitatem, quam quoad deformitatem, si hæc in aliquo positivo consistat, physicè concurrere, tanquam causam universalem, à qua omnis creatura debet dependere, id tamen facit præter intentionem peccati, etiam solummodo materialiter spectati, ex sola conditionatâ illius prævisione independentis à sua prædeterminatione. Unde S. Thomas 1. 2. q. 80. a. 1. ad 3. ait: *dicendum, quod Deus est universale principium omnis interioris motus humani: sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & à diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.*

79. Contra est 3. Positâ prædeterminatione ad materiale peccati, nullâ prohibitionem divinâ, nullâ dehortationem Concionatorum, nullâ comminationem penarum, voluntas potest inhiberi, quò minus ponat formale peccati; ergo inutiliter & imprudenter adhiberentur dicta media ad finem inobtinibilem in his circumstantiis, ad quas etiam impediendas nihil conducunt, cum determinatio physica ad materiale peccati omnino sit inimpedibilis. Unde contra hanc inimpedibilem & infrustrabilem necessariamque motionem eodem modo argumentatur S. Thomas q. 6. de Malo, art. Un. in corp. inquit, *Si ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & puni-tio, & vituperium.*

80. Contra est 4. Etiam si voluntas divina posset præcindere entitatem physicam peccati à deformitate morali, tamen ipsum reductivum actûs primi ad secundum, seu ipsa qualitas physica prædeterminationis, non præcindit; sed sicut actio physica tendit in omnes formalitates effectûs, easque ponit extra causas, ita etiam prædeterminatio physica tendit in materiale & formale peccati, vel immediatè, si consistit in aliquo positivo, vel mediatè, si in privativo. Unde (quod absit) damnati in inferno possent semper divinis auribus has execrandas voces ingerere: Tu es causa nostræ damnationis, tu inimpedibiliter determinasti nos ad peccandû, & reduxisti nostras voluntates in actum secundum peccati. Respondenti autem Deo: ego vos tantum determinavi ad materiale, præcindens per meam voluntatem à formali: meritò reponerent; atqui tua determinatio ad materiale addu-

sit voluntates nostras etiam in formale; quia auxilium quod nobis cecidisti ad non peccandum, non fuit sufficiens, ut illo vel excluderemus prædeterminationem ad entitatem peccati, vel impediremus, ne per identitatem vel consequentiam inevitabilem conjungeremus formale. Vel ergo nos punis propter materiale peccati, quod ipse positivè voluisti, & decrevisti à nobis poni, vel punis propter formale, quod repugnat non esse identificatum, vel inimpedibiliter connexum cum materiali: utroque titulo injustè nos punis, quia quod voluisti poni, & quo posito inimpedibiliter ponitur alterum, non potuisti velle non poni, adeoque prohibere; neque nos potuimus resistere voluntati tuæ efficaci, quod minùs illud velles, vel quod minùs illud poneremus.

81. Ne itaque Deo imputativè & in genere moris tribuatur deformitas peccati, non quidem necesse est, cum neque influere in actum peccaminosum; hoc enim esse impossibile optimè ostendit S. Thomas 2. dist. 37. q. 2. a. 2. eò quod sicut creatura in esse, sic etiam in operari sit dependens à Deo, à quo dante actum primum proximum, accipit posse, & à cooperante in actu secundo accipit ipsum agere. Necesse tamen est, ut Deus ne quidem ad entitatem actus peccaminosi prædeterminet, quia sic tolleretur ipsum liberè posse in actu primo proximo, & ipsum liberè Agere, quandoquidem Arbitrium creatum nec prædeterminationem posset impedire, nec frustrare suo effectu, seu entitate actus peccaminosi: Si autem non potest omittere entitatem actus, etiam malitiam non potest omittere. Unde pro salvando concursu divino ad entitatem actus, non autem pro salvanda prædeterminatione ad entitatem actus S. Doctor loco cit. ad 3. dixit. [Deus dicitur causa bonarum operationum, non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bonæ dicuntur; utrumque enim agenti insuit, & ut agat, & ut bene agat. Sed in malis actionibus quamvis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum, & ideo absolute dicendus est causa bonorum operum, non autem peccatorum.] Et ibidem ad 5. [Dicendum, quod sicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona, in quantum est actio, bonitate naturæ: non propter hoc, quod aliquando inveniatur separata à deformitate: sed quia bonitas illa naturæ deformitati substat: ita etiam Deus dicitur esse causa illius actionis, in quantum est actio, & non in quantum est deformis: hoc modo, quod actionem non faciat à deformitate separatam, sed quia in actione deformitati conjuncta, hoc quod est actionis, facit, & quod deformitatis, non facit. Et si enim in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sunt, non oportet, ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa

ejus quantum ad alterum, sicut natura est causa oculi quantum ad substantiam ejus, & non quantum ad defectum cæcitatis, quæ ex natura defectu incidit.] Licet ergo Deus entitatem actus peccaminosi teste S. Thoma verè causet, per accidens tamen, & præter intentionem seu inclinationem, ob quam causam malitia actus illi non imputatur, nihilominus ad entitatem actus, quantumvis boni, minimè prædeterminat, nisi in præcedenti questione a. 2. ad 5. rursum his verbis testatur. Dicendum, quod operatio illius agentis, qui per se agit, oportet, ut in primam agens, sicut in causam reducatur: quamvis enim in infinita entia per se agant, quia per propriam naturam, & per proprium judicium, NB. actus suos determinat non tamen à se habent, quod agant, sed à prima agente, quod eis esse, & posse, & agere confert.

82. Retorsio, quæ ad propositum argumentum reponi solet, desumpta ex peccato originali; quod ex fide constat, ab infantibus contrahi inimpedibiliter, quam primum ponitur eorum generatio, nec tamen Deus eam positivè reponendo, ac intendendo, dicitur author peccati originalis, facile à nobis repellitur; quia generatio hominis neque est determinatio ad malitiam peccati, neque ad aliquid, quod est identificatum, vel inimpedibiliter connexum cum malitiâ, ut ponendâ, sed ab Adam posita presupponit, & ideo DEUS positivè decernens, ac producens generationem hominis, non est author peccati originalis: hujus enim ille solummodo dicitur author, qui posuit, & determinavit ad malitiam vel immediatè, si est identificata cum entitate actus peccaminosi, vel mediâ, si inimpedibiliter sequitur ex actu peccaminoso. Hinc neque homo generans est author peccati originalis, cum tamen sine dubio etiam secundum ipsum adversarium, homo producat actum peccaminosum sit author peccati actualis: adeoque fatendum est, esse magnam disparitatem inter peccatum originale & actuale. Quod autem tam dispar instantia pro retorsione adhibeatur, provenit ex male applicato nostro principio. Nos enim illud sic efformamus. Qui voluntatem creatam positivè determinat ad entitatem & actualitatem ipsius malitiæ, vel ex quo inimpedibiliter sequitur malitia peccati, is est tentator & author peccati. In retorsione tamen sic efformatur. Qui positivè determinat ad aliquid se tenens ex parte peccati originalis, est illud realiter neque sit ipsa malitia, neque inimpedibiliter secum trahat malitiam, est author peccati: quod est falsissimum.



CONTROVERSIA XVII.

SIMPLICITAS PROVIDENTIAE.

*An DEUS omnia decernat per
Unicum decretum.*

83. **P**ER hoc, quod P. Haunoldus lib. 1. n. 402. & 429. probabile iudicet, ad Scientiam mediam praesupponi aliquod decretum disjunctivum, quod sit indifferens oblatio concursus divini ad actum liberum arbitrij creati, & conditionata determinatio ad individuum cuiusque speciei, dicendo v.g. Si Petro decrevero talem actum primum proximum amandi vel odio habendi, tunc concurrem tantum vel ad actum amoris A. vel ad actum odii A. minime sibi Auctor contradicit, prius n. 374. docenti. [Ad divinam providentiam utpote infinite perfectam spectare, ut uno indivisibili & virtualiter indistincto actu attingat, & ordinet omnia.] Nam per haec verba non vult excludere decretum, praecedens Scientiam mediam, virtualiter distinctum; sed tantum vult asserere, quod Deus post Scientiam mediam non debeat per aliud decretum intendere finem, & per aliud ordinare media ad finem, sed quod debeat per unum realiter & virtualiter indivisibile decretum attingere & ordinare omnia.

84. Per hoc autem, quod n. 406. modum ostendat, quo illud decretum n. 402. ut probabile assertum evitari possit, neque Angelico Doctori contradicit 2. dist. 37. q. 2. a. 2. in C. asserenti, quod, non posset vitari, quin voluntas humana esset primum agens, si ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur, sicut in causam. Nam per haec verba tantum indicatur decretum subsequens scientiam mediam, quo Deus absolute decernit necessarium auxilium, & cooperationem physicam ad omnem actionem humanam. Quando autem Adversarius quaerit, qua virtute per scientiam mediam, directivam illius decreti praevideatur homo conditionate consenturus; sibi que P. Haunoldi nomine respondet: quod liberum arbitrium seipsum moveat; non recte ominatus est responsum, confundens haec duo, quod liberum arbitrium seipsum primo moveat: & quod liberum arbitrium se ipsum determinet: nam prima motio, ut ex dictis contr. 11. & 12. patet, consistit in auxilio physice indifferenti quidem, sed tamen allicienti & excitanti ad consensum, & hoc utique debet decerni, ac conferri à Deo: hinc quia scientia media, seu conditionata, in auxilium fertur, tanquam in conditionem, dicendo; Si Petrus haberet hoc auxilium, tunc consentiret: idem est, ac si diceret: Si Petrus haberet hanc primam motionem allicientem, & excitantem illum, tunc con-

sensiret motioni, & se ipsum determinaret, & motus moveret ad consensum. Quæro nunc ex Adversario, an hæc responsio repugnet S. Doctori q. 3. de Malo a. 2. ad 4. dicenti: [per hoc non excludi, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quod seipsum movet; & sic non repugnat libertati, quod Deus est causa actus liberi arbitrij:] Imò an non potius hæc scientia media recte dirigat decretum prædictum, quo Deus absolute auxilium, seu primam motionem decernit, & actum conditionate prævisum absolute prædefinit, ut sic iste in ipsum Deum tanquam in primum agens reducatur?

85. Certè nihil aliud opponit Adversarius, quam quod iste modus explicandi libertatem per decretum, quoad suam existentiam impedibiliter prædefiniens actum arbitrij creati, ratione distinctionis virtualis à volitione necessariâ divinæ simplicitati repugnet. Quasi verò decretum inimpedibiliter prædeterminans melioris esset conditionis; quod cum & ipsum foret volitio libera, eodem modo de illo quoad distinctionem à volitione necessariâ discurrendum esset, sicut de decreto impedibili, sequente scientiam mediam.

86. Quod autem distinctio virtualis non præjudicet simplicitati divinæ, jam contr. 3. ostensum est: & ex eo patet, quod per illam non asseratur realis negabilitas inter volitionem necessariam, & liberam; sed tantum, quod veræ sint hæc propositiones S. Thomæ: 1. contra gent. c. 82. *Voluntas Dei uno & eodem actu vult se, & alia: sed habitudo ejus ad se est necessaria & naturalis: habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quandam, non quidem necessaria & naturalis, neque violenta ac innaturalis, sed voluntaria.* Et q. 23. de veritate a. 4. ad 6. *Ille, qui importat comparisonem DEI ad exitum creaturarum in esse, ut velle, creare, & hujusmodi, non sunt necessaria absolute, sicut illa, qua de DEO secundum seipsum dicuntur, ut esse bonum, viventem, sapientem, & alia hujusmodi.* Eandem absolutam necessitatem de voluntate libera negat S. D. ibid. ad 12. ad 13. & ad 15. Itaque distingui virtualiter v.g. à volitione Mundi, aliud non est, quam quod volitio, quâ Deus seipsum vult, & amat, absolute sit necessaria, & possit etiam identificari cum terminatione nolitionis Mundi: Volitio Mundi autem secundum terminationem liberam non sit absolute necessaria, & non possit identificari cum terminatione nolitionis Mundi.

87. Sententiam hanc de terminationibus liberis, volitioni necessariæ virtualiter superadditis, & tamen realiter non distinctis à volitione absolute necessariâ, adeoque non præjudicantibus simplicitati DEI, defendit insignis Thomista P. Joannes Bapt. Gonet disp. 3. de libertate DEI à n. 63. eamque ait quoad substantiam esse communem Discipulis S. Thomæ, ejusque menti ac Doctrinæ consonam, & pro illa allegat Card.

D

Cajet.

Caiet. Capreolum, Ferrar. Doctores Salmanticensis, Illustrissimum Dominum Godoy Episcopum Oxoniensem. Lubet autem propria citati Authoris verba adscribere, qui cum sibi n. 71. objecisset. [Terminatio illa sub conceptu terminationis est entitas divina intrinseca Deo: sed potuit deficere sub conceptu terminationis: ergo etiam sub conceptu intrinseca entitatis; vel si sub conceptu entitatis indefectibilis est, non potest esse defectibilis sub conceptu terminationis.] Mox subiecit hanc solutionem. [Respondeo, distinguendo Majorem: Est entitas divina explicitè absque distinctione virtuali ab illa. nego Majorem: implicitè, & NB. ab illa virtualiter distincta, concedo Majorem: & concessa Mi: nego consequentiam. Itaque quamvis terminatio libera sub conceptu Terminationis sit implicitè entitas divina, non tamen explicat conceptum divinæ entitatis, ab illoque distinguitur NB. virtuali distinctione; quæ distinctio sufficiens est, ut quamvis deficiat, vel possit deficere sub conceptu Terminationis, non deficiat, nec deficere possit sub conceptu entitatis.] Hoc ipsum ergo rectè etiam asseruit P. Haunoldus, constituens decretum liberè prædefinienti actum arbitrii creati in terminatione virtualiter distincta ab entitate ac perfectione Dei necessariæ & indefectibilis: Cum hæc distinctio neque simpliciter, neque secundum S. Thomam divinæ simplicitati repugnet.

CONTROVERSIA XVIII.

PRÆDESTINATIO SALVANDORUM.

An hæc DEO potiùs, quàm Arbitrio creato adscribenda sit.

88. Nisi auxiliis intrinsecè indifferentibus ad bonum & malum sui usum, quæ etiam Reprobis possunt esse communia, superaddatur prædeterminatio physica, à P. Haunoldo lib. 1. n. 500. non requisita, existimavit Adversarius, hoc ipso eum, qui utitur auxiliis ad salutem discernere seipsum à Reprobis, & posse adversus istos gloriari, quantumvis prohibente S. Paulo 1. Cor. 4. & opponente illud: *Quis enim te discernit?* Verùm S. Augustinus concessa auxiliorum indifferenti istud vanæ gloriæ remedium non duxit esse necessarium, illudque omnino negavit, lib. 12. de civitate cap. 6. [Si enim, inquit, aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, qua visà unus eorum ad illicitè perfrundum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse causæ, ut in illo fiat, in

illo non fiat voluntas mala?] Et paulo post. [Si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque consentiat: alter idem, qui tuerat, perseveret: quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? Unde nisi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animi affectio, amborum oculis pariter visâ est eadem pulchritudo, ambobus pariter institit occulta tentatio? propriam igitur in uno eorum voluntatem malam, quæ res fecerit, scire volentibus, si bene intueantur, nihil occurrit.] Subsumo. Atqui ambo non essent æqualiter affecti animo & corpore, si unus haberet qualitatem intrinsecè & essentialiter prædeterminantem ad actum bonum, & alter intrinsecè ac essentialiter prædeterminantem ad entitatem actûs mali: nec rectè dixisset S. Augustinus; *quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* quia ex inæquali actu voluntatis debuisset colligere inæqualem affectionem animæ, prædeterminantem ad illos inæquales actus. Nec denique debuisset, tum in citatis verbis, tum in his: *propriam igitur in animo eorum voluntatem malam, quæ res fecerit, scire volentibus, si bene intueantur, nihil occurrit:* ingenuè fateri, sibi etiam bene intuenti, præter ipsos actus voluntatis diversos nihil occurrere, quo duo inæqualiter, vel in corpore, vel in anima afficerentur, & quo unius voluntas reduceretur in actum bonum, & alterius in actum malum.

89. Quid ergo respondebit S. Augustinus ad textum Apostoli, ab Adversario objectum ex 1. Cor. 4. ubi ne unus adversus alterum inflatur præ alio, inquit, *Quis enim te discernit?* An non poterit unus adversus alterum gloriari, quod ex sua voluntate se discernit ab illo? [Nam, (ut inquit Adversarius,) quando duo conveniunt in aliquo sibi communi, & simul distinguuntur, non debent distingui per illud commune. Cum ergo ambo supponantur convenire in auxiliis, intrinsecè non differentibus, & discernantur in consecutione salutis, evidens est, hanc discretionem non in Dei, sed in creatam voluntatem refundi. (contra illud Apostoli:) Non est volentis, neque currentis, sed miserationis Dei.] Accipiat itaque Adversarius responsum à S. Augustino lib. 1. ad Simplicianum q. 2. circa medium, Beneficium misericordis vocationis non in intrinsecam diversitatem auxiliorum, sed in præscientiam divinam refundente, vi cuius Deus ex misericordia eligit tale auxilium, quo scit hominem bene usurum, cum potuisset aliud eligere, quo conditionatè prævidisset malè usurum; quæ electio cum non sit in hominis potestate, licet eâ supposita sit in illius potestate, collato auxilio bene uti, ideo homo non se ipsum discernit, neque est volentis, neque currentis, sed miserationis Dei, ut homo acceperit tale auxilium. Cujus autem miseretur, ait Augustinus, sic eum vocat, quo modo

scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Et in eadem questione ita etiam loquitur. [Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio, nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum est, qui elegit nos ante Mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi præscientiâ.]

90. Neque timendum est, ne hac ordinatione prædestinationis contradicatur S. Paulo, qui & ipse initium illius duxit à præscientiâ, ad Rom. 8. v. 29. inquit. [Quos præcivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filij, ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.] Sensus hujus gradationis est. Quos præcivit, esse cooperaturos his auxiliis, si ea haberent, illis ex misericordia, independentem à meritis absolute prævisis. sed tantum ad modum causæ finalis se habentibus, destinavit dare hæc auxilia, ut per illa conformes fierent Imaginis Filij sui, iisdem cooperando: prout etiam S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. ad 1. ait. *quod usus gratiæ præcitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis, ut dictum est.* Scilicet in Corpore Articuli, ubi contra Pelagianos negavit, quod Deus in præmium det gratiam alicui, quia præcivit, eum bene usurum gratiâ: non tamen negavit, DEUM conditionatè præscire bonum usum gratiæ, hoc ipso, quod per decretum dandi gratiam, intenderit ejus absolutam existentiam, ut causam finalem absolute ponendam: unde idem Angelicus Doctor 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. expressè dicit: *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum: non absolutam, hæc enim secundum S. D. q. 6. de veritate a. 1. est ipsa prædestinatio præsupponens dilectionem & electionem: ergo conditionatam ad ipsam dilectionem & electionem ad modum cognitionis directivæ prærequisitam.* Illos ergo, quos Deus conditionatè præcivit bene usuros gratiâ, illos prædestinavit per decretum dilectionis, & electionis ad gratiam auxiliantem, intentam propter bonum usum absolute ponendum, & conditionatè prævisum; hujus autem prædestinationis ad gratiam effectus immediatus fuit executio, seu actualis collatio gratiæ, quæ est ipsa vocatio: & ideo dixit S. Paulus: *quos autem prædestinavit, hos & vocavit:* collationem gratiæ auxiliantis subsecuta est cooperatio, disponens hominem ad gratiam justificantem, tanquam ad effectum mediatum prædestinationis, & immediatum vocationis ac liberi arbitrij creati, juxta illud: *Quos vocavit, hos & justificavit.* Gratiam justificantem, & finaliter perseverantem excepit ultimus effectus prædestinationis, qui est, æterna gloria: *quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

91. Atque ex his patet, quod licet æterna

gloria, gratia justificans, & merita sint ex libero arbitrio creaturæ, quia tamen originaliter sunt ex gratia auxiliante, cui cooperari in potestate arbitrij creati fuit, accipere autem potius illam gratiam, quam aliam, cui Deus conditionatè prævidit, non conjunctum iri bonum usum, in potestate arbitrij creati non fuit, sed quia hujus existentia solius prædestinationis gratuitæ fuit effectus, ideo nullum hominem posse adversus alterum gloriari propter prædestinationem, ut est electiva gratiæ; & propterea neque debere gloriari propter liberi arbitrij cooperationem subsecutam ex Beneficio merè gratuito: quia, ut inquit S. Thomas q. 23. a. 5. in C. *Id quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione.* Unde immeritò supposuit Adversarius, Vanæ gloriationi à P. Haunoldo unice posse opponi indigentiam simultanei concursus Divini; cum potius opponat Unicum ac indivisibile decretum, quo Deus salvandis vult ex misericordia dare gloriam, & merita, & quidquid hominem promoveret ad salutem; inter quæ tamen non est prædeterminatio physica, sed auxilia indifferentia, conditionatè prævisa conjungenda cum cooperatione, & propter hanc, tamquam causam finalem absolute ponendam, ex misericordia sine præcedentibus meritis à Deo electa. Neque tamen propter periculum vanæ gloriæ ex libera cooperatione orituræ, tollenda est libertas cooperandi, vel non cooperandi, ne falsificetur illud Ecclesiastici 3. v. 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit.*

CONTROVERSIA XIX. PROCESSIONES DIVINÆ.

Quod sit Principium QUO Generationis Passivæ.

92. **N**ON rectè dixit adversarius, quod S. Thomas se (voluit dicere sententiam suam 1. dist. 7. q. 1. a. 2. traditam) retractaverit per posteriorem doctrinam 1. p. q. 41. a. 5. de principio ut quo generationis divinæ. Sed sicut una lex non abrogat alteram, quando ambæ conciliari possunt, sic nec sententia sententiam tanti Doctoris, quando ambæ conciliari possunt, id quod Adversarius in reverentiam sui Magistri debuisse per ingenij sui vires tentare cum P. Haunoldo. scilicet quia generatio Filij dicit productionem in similitudinem naturæ generantis, debuisset distinguere duo principia ut quo inadæquata, constituentia unum adæquatum: primum & quidem principale principium ut quo in recto importatum, est Natura divina, quatenus nimirum, ut S. D. priori loco inquit, *ab essentia egreditur aliquis actus, secundum quod essentia est Sapientia*, adeoque prout dicit ordinem ad operationem intellectivam. Dicitur autem hæc natura

D 2

ideo

ideo principium *ut quo*, quia est id, quo generans dicitur similis, seu quod est ratio formalis assimilandae, ut indicat S. D. his verbis in Summa: *Il- lud ergo est potentia generativa in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti. Filius autem Dei similatur Patri genenti in natura divina*, quia autem hac assimilatio requirit etiam productionem, ideo necessarium est alterum principium *ut quo*, scilicet proxima vis productiva generationis passiva, quae debet esse realiter distincta à suo termino: hoc principium expressit S. D. his verbis in lib. sent. *Essentia secundum quod est ipsa Paternitas est principium hujus actus, qui est generare, non sicut agens, sed sicut quo agitur. Quando ergo deinde in Summa dixit S. D. Neque Paternitas potest intelligi, ut quo Pater generat, sed ut constituens personam generantis: alioqui Pater generaret Patrem. Sed id quo Pater generat, est Natura divina. Hac verba tantum intelligi voluit de principio *ut quo* similitudinis, quod non potest esse paternitas, ne Pater generet Patrem; non autem de principio *ut quo* productionis, hoc enim non potest esse natura, vel essentia. Juxta Concil. Later. relatum in Cap. Damnamus. de Summa Trinitate, ubi Innocentius III. ait, quod neque sit generans, neque genita, neque procedens, ob defectum distinctionis realis, quae vel maxime requiritur ad principium Quo productionis, sicut identitas requiritur ad principium Quo similitudinis. Quae principia *ut quo* tandem S. D. loc. cit. in Summa in unum adequatum conjungit, dicens: *Ideo potentia generandi significat in recto naturam divinam, sed in obliquo relationem. Quo modo etiam Natura humana, & potentia generativa computatur unum principium. Quae itaque adversarius opponit contra P. Haunoldum, tantum probant Naturam esse principium quo similitudinis, quod P. Haunoldus n. 686. expressè concedit, (& propter hanc similitudinem Verbi ait, ipsum generari) non autem probant, Paternitatem non esse principium quod productionis, de quo ipse loquitur, & de quo rectè dixit, quod principium formale quo debeat à termino productio realiter distingui. Videat ergo Adversarius, quam immeritò, ut P. Haunoldum posset impugnare, dixerit S. Thomam se revocasse, adeoque ab initio errasse.**

CONTROVERSIA XX.

SVBSISTENTIA ABSOLVTA.

An talis detur prater Relativas in DEO.

23. **E**X mente S. Thomae, & rectissime dixit P. Haunoldus lib. 1. n. 668. Non dari in divinis unam communem seu absolutam Subsistentiam, sumendo Subsistentiam pro hypostasi,

prout à Concilijs. SS. PP. & Theologis communiter sumitur. Nam S. Thomas q. 40. a. 1. expressè ait. *Remota proprietate personalis per intellectus, tollitur intellectus hypostasis. Et abstractio totali abstractione proprietatibus, sola essentia, & non Persona remanent.* Pro cuius evidentia Advertendum est, per nomen Subsistentia magis genericè, & secundum etymologiam nominis acceptum à S. Thoma q. 9. de potentia a. 1. & seqq. designari principium, per quod natura fit per se, & non in alio existens, adeoque Subsistens; hoc autem principium esse ipsum principium individuationis, eò quod natura non Subsistat, nisi in singulari: quia ergo natura divina, & secundum S. Doctorem loc. cit. quaelibet Substantia spiritualis per se ipsam est individua, & immultiplicabilis, ideo in hoc sensu etiam est per se ipsam Subsistens, ac proinde est sui ipsius Subsistentia, & sic natura divina non fit Subsistens per relativas personalitates, sed potius istae sunt Subsistentes, & acquirunt singularem ac individualement naturam per ipsam naturam divinam cum ipsius realiter identificatam. Sumendo tamen Subsistentiam pro hypostasi, quae in Subsistentijs intellectibus speciali nomine vocatur persona, non sufficit ad rationem Subsistentiae, esse prae dictum immultiplicabile, sed debet etiam esse prae dictum incommunicabile, & distinctivum unius Subsistentiae singularis ab alia. Unde S. D. cit. q. 4. in C. ad quaestionem, *Utrum hoc nomen personae divinae significet relativum, vel aliquid absolutum*, his verbis sole clarioribus respondet. [Dicoendum est, quod hoc nomen Persona communiter sumpta nihil aliud significat, quam Subsistentiam individualement naturae continentem Substantia individua, id est, NB. incommunicabile, & ab aliis distincta, tam Dei, quam hominis, quam Angeli oportet, quod Persona divina significet Subsistentiam distinctam in natura divina, sicut persona humana significat Subsistentiam distinctam in natura humana; & haec est formalis significatio tam personae divinae, quam humanae.] Et paulò post: [Distinctum verò incommunicabile in natura divina NB. non potest esse nisi relatio: quia omne absolutum est commune, & indistinctum in divinis.]

94. Atque ita S. D. toto hoc Articulo instituto probat, & contra 18. objectiones confirmat, nomen personae non esse aliquid absolute; unde in articulo sequenti ad 13. designat etiam disparitatem, quare in creatis id quod est Subsistentia in primo sensu accepta, jam etiam sit hypostasis vel persona, non autem in divinis, quia nimirum repugnat eandem individualement naturam creatam esse communem realiter distinctis, prout eadem natura divina est per identitatem communis realiter distinctis personis: verba S. Doctore sunt

hæc. [Dicendum, quod in rebus creatis principia individuanti duo habent, quorum unum est, quod sunt principium subsistendi, natura enim communis de se non subsistit, nisi in singularibus: aliud est, quod per principia individuanti, supposita naturæ communis ab invicem distinguuntur. In divinis autem proprietates personales hoc solum habent, quod supposita divinæ naturæ ab invicem distinguuntur, non autem sunt principium subsistendi divinæ essentia. Ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens: sed è converso proprietates personales habent, quod subsistant ab essentia.] Atque hic erat textus ab Adversario adductus, ad quem proinde pater responsio ex indicato discrimine inter subsistentiam prout est hypostasis seu persona in divinis, sub qua acceptione non potest esse absoluta, & prout est solummodo principium individuationis, seu existentia per se, sub qua acceptione non potest esse relativa. Eodem modo intelligendus est aliter textus i. dist. 21. q. 2. a. 1. ubi S. D. ait, *Natura divina in se habens esse subsistens, nulla intellectu personarum distinctione*: nempe hic iterum non sumit subsistentiam pro hypostasi, vel persona, pro qua tamen à PP. & TT. atque nominatim à P. Haunoldo sumitur, quando negant subsistentiam absolutam, quando v. g. S. Iustinus in expositione Fidei de Trinitate non longe ante medium dixit: *Quatenus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, unius Deitatis dignoscendo subsistentias, quatenus autem DEVS, essentiam communem subsistentiarum intelligendo.* Et S. Damascenus in Epist. de Trifragio prope medium. *Non est autem ipsorum communis una hypostasis, Deitas autem communis est trium hypostasum una existens.*

CONTROVERSIA XXI.

PERSONÆ DIVINÆ.

Ex quali Cognitione Secunda Persona procedat à Prima.

95. Angelico Doctore consonat P. Haunoldus, quando lib. 1. n. 757. dicit: *Probabilius est, verbum procedere ex cognitione futurorum secundum aliquam terminationem virtualiter intrinsecè distinctam, quæ representantur objecta futura.* Nam S. D. i. p. q. 34. a. 3. in C. expressè ait: [*Quia Deus uno (realiter) actu, & se & omnia intelligit, unicum verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum.* Et sicut De i scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva & factiva: ita verbum Dei, ejus, quod in Deo Patre est, est expressivum tantum,



creaturarum verò est, expressivum & operativum. Et propter hoc dicitur in Psal. 32. Dixit, & facta sunt, quia importatur in verbo ratio factiva eorum, quæ DEVS facit.] Quæ verba rectius dissimulasset Adversarius, quam ut ex eis inferre conetur non pertinere per se ad processionem Verbi cognitionem creaturarum, ut factarum, eò quod ut sic non solum principium ut factivum, sed ut faciens respiciant: Nam præterquam quod hac illatione non ostendat, quomodo non ex cognitione futurorum, seu faciendorum verbum procedat, ipsa illatio facile evertitur. Cum enim cognitio DEI, ex qua Verbum secundum S. Thomam procedit, omnes creati temporis differentias, in quibus res sunt, erunt, & fuerunt, representet, hoc ipso est factiva, & faciens creaturas, & qui dicit Verbum procedere ex cognitione factiva, dicit etiam, ipsum procedere ex cognitione faciente. Deinde ipse S. Doctor expressè in textu testatur, Verbum procedere ex cognitione eorum, de quibus Psalmista ait: *dixit, & facta sunt*: ergo juxta S. Doctorem Verbum procedit ex dictione faciente: præsertim, quia secundum eundem S. D. Deus cognoscit omnia, ut sibi præsentia. Præterea in argumento S. D. allegat textum S. Augustini lib. 83, quæstionum. q. 63. tradentis, *quod in nomine Verbi significatur non solum respectus ad Patrem, sed etiam ad illa, quæ per Verbum facta sunt operativa potentia.*

96. Eandem assertionem statuit etiam S. Thomas q. 4. de veritate a. 5. in C. ad finem, inquit: [*Pater principaliter dicit se, generando Verbum suum, & ex consequenti dicit creaturas, ideo principaliter, & quasi per se, Verbum refertur ad Patrem: sed ex consequenti, & quasi per accidens refertur ad creaturam.*] Neque potest hic textus intelligi tantum de creaturis possibilibus: quia Pater dicit Filio, quidquid ipse scit, & Christus ipse frequenter in sacro Evangelio testatur, se audivisse & accepisse à Patre, quæ ipse per prædicationem suam nota fecit hominibus, & scientiam suam, non esse suam, sed Patris, qui generando misit. Atqui hæc scientia & Christi prædicatione non tantum erat de possibilibus, sed vel maxime de futuris: neque erat solummodo scientia creata, suæ Humanitati propria; quia hanc non à solo Patre, sed etiam à Spiritu Sancto accepit, scientiam verò prædictam, adeoque Increatam Spiritus Sanctus à Christo accepit, ita attestante Jo. 16. v. 14. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso: sed NB. quacunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt (adeoque nec sola possibilia, nec sola necessaria, sed etiam futura contingentia) annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia NB. de meo accipiet,*

E

piet,

piet, & annuntiabit vobis. Imò ipse S. Thomas in responsionibus ad objectiones evidenter declarat, se assertionem suam etiam ad creaturas ut exituras extendere. Nam in Resp. ad 2. ait, Verbum referri ad creaturam constituendam. Et cum in tertio argumento ita sibi objecisset. [Omne nomen importans respectum ad creaturam non potest intelligi, non intellecto, quod creatura sit actu vel potentiâ: quia qui intelligit unum relativorum, oportet, quod intelligat reliquum: sed non intellecto aliquam creaturam esse, vel futuram, adhuc Verbum intelligitur in Deo, secundum quod Pater dicit se ipsum; ergo Verbum non importat aliquem respectum ad creaturam.] Non respondet S. D. negando suppositum, quod quando dixit in conclusione, Verbum per accidens referri ad creaturam id intelligendum fuerit de creatura possibili; sed sic respondet: [Dicendum, quod ratio illa procedit de illis nominibus, quæ per se important respectum ad creaturam: hoc autem nomen non est huiusmodi, ut ex dictis patet. Et ideo ratio illa non sequitur.] Caterum ex eo, quod S. D. dicat respectum Verbi ad creaturas esse tantum habitudinem seu terminationem accidentalem, juxta dicta in contr. 17. confirmatur illud, quod P. Haunoldus in sua conclusione indicavit: Verbum procedere ex cognitione futurorum secundum aliquam terminationem virtualiter intrinsecè distinctam, quâ repræsentantur objecta futura.

97. Atque ex his patet, Adversarium male usum esse hac distinctione, quod verbum scientiam contingentem à Patre non acceperit ex vi suæ processionis formaliter: Sed identicè tantum & concomitanter: quia quod formaliter, licet minus principaliter, dicitur à Patre, id formaliter auditur & accipitur à Filio: & id, quod formaliter repræsentatur à Verbo, ex illius cognitione existente in Patre Verbum formaliter procedit. Deinde quod S. Doctor non tantum loquatur de scientia contingente omnibus tribus Personis communi, sed de Notionali, quæ formaliter accipitur, iterum evidens est ex paritate à S. Thoma instituta 1. p. q. 37. a. 2. ad 3. his verbis: [Dicendum, quod Pater non solum Filium, sed etiam se, & nos (utique non tantum ut possibiles) diligit Spiritu Sancto: quia, ut dictum est, diligere NB. prout Notionaliter sumitur, non solum importat productionem divinæ Personæ, sed etiam Personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Unde NB, sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repræsentat se, & Patrem, & omnem creaturam: ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu sancto &c.] Subsumo. Atqui Spiritu Sancto diligit notionaliter, non tantum creaturas possibiles, sed nos existentes, amando nobis existentiam, & quâ

existentes, ut probat S. Doctor 1. p. q. 20. a. 1. per totum. ergo Verbum notionaliter repræsentat omnem creaturam tam existentem, quam possibilem.

98. Non tamen propterea rectè infert Adversarius, admittenda esse duo Verba, sicut non admittendi sunt duo Spiritus Sancti: quia hanc sequelam expressè negavit S. D. q. 14. a. 3. in C. inquires. [Quia DEVS uno actu & se, & omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum.] Aliud ergo est, terminationem Verbi, quæ quasi per accidens refertur ad futuras creaturas, esse virtualiter distinctam à Verbo, prout refertur ad Patrem: & aliud: esse duo Verba, quæ realem distinctionem denotarent. Hinc neque datur Quaternitas, etiam si divina Natura virtualiter distinguatur à singulis Personis, ut contr. 3. dictum est: neque dantur duæ scientiæ absolutæ seu communes, etiam si scientia simplicis Intelligentiæ, & scientia Visionis virtualiter differant. Neque dantur duæ volitiones, etiam si virtualis distinctio inter volitionem necessariam & inter decreta seu Terminationes liberas cum multis doctis Thomistis contr. 17. citatis, & ut ostendi cum ipso S. Thoma conceditur.

CONTROVERSIA XXII.

ANGELORVM NATVRA.

An eadem quoad speciem sit numero immultiplicabilis.

99. Immerito accusat Adversarius P. Haunoldum lib. 1. n. 833. quod S. Thomas opusc. 16. §. Restat autem, non sincerè retulerit, mentemque ipsius in dubium revocaverit. Nam cum S. Doctor sibi Averroistarum nomine, ut nam animam rationalem propter suam immaterialitatem in omnibus corporibus starentium hæc sibi objecisset, inquires: [Si quis autem objiciat, quod si multiplicentur (animæ) secundum corpora, sequitur, quod destructis corporibus non remanent multæ animæ.] Ita respondit: [Valde autem ruditer argumentantur ad ostendendum, quod Deus facere non possit, quod sint multi Intellectus ejusdem speciei, credentes hoc includere contradictionem.] Hæc causam mox subiciens, ulterius inquit. [Dato enim, quod non esset de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oportet, quod intellectum multiplicari, includere contradictionem. Nihil enim prohibet, aliquid non habere in sua natura causam aliquam, quod tamen habet illud ex alia causa.] Sicque gra-

grave habet ex sua natura, quod non sit sursum, tamen grave esse sursum, non includit contradictionem; sed grave esse sursum, secundum suam naturam contradictionem includeret. Sic ergo Intellectus, si naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen fortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset multiplicatio contradictionis.] Quorum verborum sensum, ut brevius referret P. Haunoldus, exemplo ductus nostri doctissimi P. Suarezij lib. 1. de Angel. c. 15. n. 5. (quod etiam Adversarium, sed non retento eodem sensu fecisse supra contr. 13. meminimus) prorsus eadem significatione manente, imò iisdem verbis, in quibus S. D. vim posuit, repetitis, sic illum adduxit: *Licet substantia separata* (posuit hunc Nominativum non Angelos designando, sed animas rationales, prout in objectione ponebantur separata à suis corporibus) *non habeant in sua natura causam distinctionis, nec naturalem causam multiplicationis, possunt tamen fortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis.* Quia autem ex hoc discursu S. Doctoris videtur inferri posse, quod licet non esset de natura Angeli, quod multiplicaretur, non propter hoc oportet, quod Angelum multiplicari, includeret contradictionem. Propterea dixit P. Haunoldus non omnino certo constare de mente S. Doctoris, utrum non alii textus i. p. q. 50. a. 4. & q. 75. a. 7. & q. de spiritualib. creaturis a. 8. ubi S. D. videtur impossibilitatem multiplicationis adstruere, tantum intelligendi sint de impossibilitate ordinariâ, non extraordinariâ & absolutâ, prout de facto plures doctissimi Thomistæ illos intelligunt, ut Ferrar. Bannez, Zumel, Ripa, & probabile iudicat Capreolus etiam in doctrina D. Thomæ: qui, inquit Bannez q. 50. a. 4. in fine, [non loquitur de omnimoda impossibilitate, quæ fundatur in repugnantia contradictionis, sed de impossibilitate, quæ consideratur secundum potentiam & ordinem naturalem.]

100. Neque iste modus loquendi S. Thomæ caret exemplo, quale supra controv. 5. attulimus ex q. 10. de veritate a. 11. in C. ubi licet S. D. dicat, *fieri non posse*, ut quis Deum videat per essentiam, nisi ad hoc intellectus creatus per lumen gloriæ disponatur, faretur tamen, id fieri posse per potentiam extraordinariam. Imò ipse S. Doctor suum discursum de anima separata etiam ulterius voluit extendi: nam verbis paulò antè fusiùs ex illo relatis immediatè hæc subiungit: [Quod non tantum dicimus propter propositum (propter refutandam scilicet immultiplicabilitatem animarum) sed magis, ne hæc argumentandi forma ad alia extendatur: sic enim possent concludere, quod Deus non potest facere, quod mortui resurgant, & quod cæci ad visum reparentur.] Quid ni ergo liceat suspicari, S. Thomam etiam voluisse, ne

Adversariorum argumentandi forma ab animabus separatis ad Angelos extendatur? Vnde à P. Haunoldo allatum testimonium S. Doctoris etiam de Angelis intelligunt citati Thomistæ, ut videre est apud Bannez prope finem a. 4. ubi etiam allegat S. Augustinum, lib. 1. de libero arbitrio dicentem: quod si Deus annihilaret omnes Angelos, posset sine dubio creare multos plures ejusdem speciei, & gradus.

101. Unde ne S. Thomas à S. Augustino fidissimò suo Achate recessisse dicendus sit, poterit ex mente relatorum Thomistarum ad textum q. de spiritualib. creat. a. 8. responderi, Angelicum Doctorem tantum ex suppositione, quod intellectui nec supernaturaliter offeratur alia causa, solo numero distinguendi Angelos, quàm quæ de facto, & naturaliter requiritur ad concipiendam distinctionem merè numericam, nempe distinctio numerica subiectorum, ob quæ oportet multiplicari formas in illis receptas, dixisse: [Si Angelus est forma simplex abstracta à materia, impossibile est etiam fingere, quod sint plures Angeli unius speciei.] Quæ responsio potest colligi ex immediatè sequentibus verbis, pro ratione ibid. subjunctis. [Quia quæcunque forma (pergit S. Doctor) quantumcunque materialis, & infima, si ponatur abstracta vel secundum esse, vel secundum intellectum, non remanet, nisi una, in specie una. Si enim intelligatur albedo absque omni subiecto existens, non erit possibile, ponere plures albedines, cum videamus, quod hæc albedo non differt ab alia, nisi per hoc, quod est in hoc vel illo subiecto, & similiter si essent humanitas abstracta, non esset, nisi una tantum.] Per quæ verba utique S. D. non vult dicere per abstractionem albedinum vel humanitatum à suis subiectis vel suppositis tolli à parte rei, vel in intellectu omne fundamentum, etiam supernaturaliter possibile, concipiendi distinctionem realem, neque Divinitus à formis auferibilem, per quam realiter distinctæ etiam realiter multiplicantur; cum utique sufficiens fundamentum distinctionis realis concipiendæ intellectui præberetur, si tales formæ à Deo sensibus subicerentur, ut existentes in locis separatis, ac discontinuis.

102. Proinde S. D. suo argumento, petito ex independentia Angelorum à materia vel subiecto, quod juxta textum 1. dist. 34. q. 1. a. 1. in C. loco materiæ se habeat, non tam videretur velle probare, non esse naturaliter possibiles, solo numero distinctos Angelos, quàm non esse naturaliter possibile, dari actum plures solo numero distinctos Angelos, adeoque multiplicitem merè numericam non repugnare ipsi naturæ, seu essentiæ Angelorum (quæ neque supernaturaliter mutari posset) sed repugnare quoad modum simultaneæ existentie propter sic concipiendum discursum S. Thomæ. Non habemus fundamentum concipiendi plura individua ejus-

E 2 dem

dem speciei existere connaturaliter, & ex natura ipsius speciei, nisi quando species aliqua est talis, ut ad bonum statum Universi necesse sit illam speciem individualiter multiplicari: sed tantum necesse est individualiter multiplicari materiam, & formas substantiales, vel accidentales, Ordinatas ad materiam, vel ad aliquid, quod est loco materiae; unde qui conciperet formam aliquam existere, non haberet fundamentum concipiendi multiplicatam numericam sub eadem specie, si eam conciperet in abstracto, & non prout multiplicatam in materiis, vel subiectis exigentibus ejus multiplicationem. Sic *Magister Angelicus* (assumo epiphonema Ironicum Adversarii sine Ironia) *savet Haunoldo.*

CONTROVERSIA XXIII.

ANGELORVM POTENTIAE.

An objectum aequè necessario influat immediate in cognitionem, sicut potentia.

103. **E**X eo, quod P. Haunoldus lib. 1. n. 867. concedat, objectum posse in defectum immediati influxus mediante specie impressa concurrere ad cognitionem sui, substantiam verò cognoscitivam asserat n. 871. semper debere immediate influere in cognitionem suam, (ut fusè contr. 4. probatum est, tum ex vitalitate cognitionis, tum ex aliis rationibus, pro immediato influxu objecti minimè pugnantibus) non rectè infert Adversarius, P. Haunoldum sibi ipsi contradicere; quamvis ipse P. Haunoldus libenter fateatur, se in hoc, quod potentiam cognoscitivam, immediate influentem, à substantia realiter non distinguat, dissentire ab Angelico Doctore. Illationem enim esse illegitimam, inde patet, quia doctrina P. Haunoldi non fundatur in hoc principio, quod Adversarius sibi imaginatur, quasi effectus non possit tribui, nisi principio immediate illum producenti, hoc enim non solum est falsum quoad concursum mediatum ipsius objecti in cognitionem sui, sed etiam in pluribus aliis casibus, ut quando ignis in recepta Philosophorum sententiâ non nisi mediante calore interno producit calorem ad extrâ. Ad illos tamen casus, quos Adversarius adducit, quando scilicet mediante habitu fidei, spei, charitatis, luminis gloriæ producti actus supernaturales attribuuntur nobis ipsis, P. Haunoldus in sua sententiâ facile negat suppositum, quod hujusmodi actus non producantur immediate ab anima, cujus negandi speciales rationes, à dicto principio omnino diversas, attulit in suo libello de anima rationali, ad quem

in opere Theologico lectorem remittit. Acque facile quoad ultimam instantiam, quod mediante qualitate ignis infernalis verè cruciet damnatos, negatur suppositum, quod sola qualitas, elevans ignem, si quæ talis datur, sine partiali concursu, procedente ab igne vel à calore ignis, efficiat cruciatum, id est, formam afflictivam substantiæ incorporeæ, propter alligationem ad ignem.

CONTROVERSIA XXIV. PECCATVM LVCIFERI

Quale hoc fuerit.

104. **L**ICET S. Thomas peccatum Luciferi per duplex membrum sub divisione, hisque verbis expresserit, q. 63. a. 3. in C. Diabolus in hoc appetit indebitè esse similis DEO, quia appetit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute sua natura poterat pervenire: avertens suam appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia DEI. Vel si appetit ut ultimum finem illam DEI similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suam naturæ, non ex divino auxilio secundum DEI dispositionem: immerito tamen Adversarius conqueritur contra P. Haunoldum, quod lib. 1. n. 973. cum debita reverentia recedens à S. Thoma, tantum primum membrum retulerit, illudque solum impugnaverit. Nam per hoc neque inciviliter, ut Adversarius objicit, S. Doctorem retulit, neque ab illius opinione per argumentorum suorum tela abstrivit. Primò: quia S. D. ipse in primo membro suam sententiam potissimum constituit; unde illud asseruit absolute, alterum verò tantum sub conditione, dicendo, *vel si appetit &c.* quasi diceret, si appetit Beatitudinem supernaturalem, eam non aliter appetit, quam licet per suam virtutem seu vires naturæ habere possit. Secundò: quia S. D. ipse utrumque membrum ad unum reducit; propterea mox hæc expressa verba subiecit, *Et hæc duo NB. quodammodo in idem redeunt: quia secundum utrumque appetit finem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium DEI.* Cum igitur P. Haunoldus in hoc idem, in quod illa duo quodammodo redeunt, nempe in beatitudinem propriam naturæ virtute habendam, sua tela direxerit, & hæc scopum istum feriant, æquè ac si beatitudo illa expressè fuisset divisa in naturalem ac supernaturalem; hinc Adversarius loco solutionis argumentorum, non sufficienter reponit hæc verba. [Cum sua tela Recentior iste præstet contra priorem relatorum ex Angel. Magistro Verborum partem taliter direxit, ac si prius non fuisset subiecta ab eodem Aquinate: si prius non fuisset subiecta ab eodem Aquinate, sed in opinionem non solum intactam reliquit, sed inciviliter retulit.] Tertiò: quia Angelicus Doctor 3. cont. gent. c. 109. circa medium, quoniam

locum P. Haunoldus quoque allegavit, etiam solummodo primum membrum expressit inquit: [Potuit igitur in voluntate substantiæ separata esse peccatum ex hoc, quod proprium bonum & perfectionem NB. in ultimum finem non ordinavit, sed inhæsit proprio bono ut fini. Et quia ex fine necesse est, ut regulæ sumantur, necesse est, ut ex se ipsa, in quo finem constituit, alia regulariter disponderet, & ut ejus voluntas ab alio superiori non regularetur; hoc autem soli Deo debetur.] Quartò, quia per hanc Verborum partem: *vel si appetijt, ut ultimum finem &c.* non significatur malitia peccati consistens in appetitu efficaci beatitudinis supernaturalis, sed potiùs, in contemptu illius, quatenus Lucifer eam non aliter voluit accipere, nisi fruendo suâ beatitudine naturali absque labore & conatu actuum supernaturalium, per auxilia gratia ultra Vires naturæ præstandorum; unde posterioris partis malitia resolvitur in malitiam prioris partis, scilicet in amorem inordinatum beatitudinis naturalis, ob quam retinendam Lucifer contempsit beatitudinem supernaturalem; & sic tela à P. Haun. excussa contra inordinatum amorem beatitudinis naturalis, pugnabant etiam contra contemptum beatitudinis supernaturalis, ad eoque simul contra alteram partem Verborum, quæ proinde non opus erat referre; sed opus erat, ut Advers. ad argumenta P. Haunoldi responderet.

105. A peccato Luciferi transit Adversarius ad pœnam illius peccati, & nullo quidem textu allegato ex S. Th., ait, Thomistæ præter obstinationem, provenientem etiam ex Angelorum liberi arbitrii inflexibilitate, rectè intellectâ, non solum docent, diabolos puniri *per localem alligationem ad ignem*, ut sibi imaginatus est Haunoldus n. 990. & 993, sed longe plures statuunt effectus qualitatatis, dæmones alligantis, quos coram Julio II. recensuit Cajetanus to. 3. opusculor. Verùm illos effectus alligationis etiam P. Haunoldus facit sibi imaginatus est, utpote cum alligatione per se connexos, cum Cajetanus non alios recensuerit, quàm ademptum Dominium in ignem corporeum, subjectione erga illum substitutâ, continuam in hoc supplicium reflexionem, mentisque per illam ab alijs objectis restrictionem, afflictionem voluntatis propter supplicii detestabilitatem, & propter Dei vindicis resultantem gloriam, erga quem odio & invidia omnes dæmones ardent: his addit activæ potentia in res subjectas imminutionem, ab applicationis inhibitione provenientem, pœnæ perpetuitatem & levaminis carentiam, menti semper observantes. Solum ergo ut ex n. 995. patet, supposuit P. Haunoldus referens sententiam S. Thomæ, præter alligationem & dictos effectus in illa inclutos à S. Doctore non attribui igni infernali aliquam elevationem

nem ad producendam qualitatem spirituales doloriferam in Angelis damnatis, nec modo illis contrariam ac molestam, quo est calor corpori sensitivo, non solum voluntatem affligens. Illud autem rectè suppositum fuisse à P. Haunoldo, patet ex omnibus illis locis S. Thomæ, ubi hac de re scribit, supplicium ignis solum explicans per alligationem includentem recentis effectus. Videatur S. Thomas 4. contr. Gent. cap. 90. & q. 26. de verit. a. 1. & 1. p. q. 64. a. 4. & quodlibeto 3. a. 23. & 2. dist. 6. a. 3. ad 6. & 4. dist. 44. q. 3. a. 3. q. 3. ad 4. ubi expressè ait. *Dicendum, quod ignis non agit in animam per modum influentis, sed per modum detinentis.* Quorum Verborum et si R. P. Joan. Bapt. Gonet disp. 15. de pœna Angelorum n. 48. cum Joanne à S. Thoma ad mentem Angelici Doctoris q. 26. de verit. a. 1. in C. rectè dicat. [Sensum non esse, quod ignis non influat in animas (eadem à potiori est ratio de Angelis) quas detinet captivas; alias enim non concederet, quod agit in ipsas, cum agere in aliquem, quocunque modo sumatur, importet aliquem influxum in eum; Voluit tamen dicere, id quod influit ignis, in animam, deservire duntaxat ad detinendum non verò ad alterandum, vel corrumpendum.] Negatâ autem hac qualitate alterativâ & corruptivâ, hoc ipso censuit S. Doctor supplicium ignis infernalis in sola alligatione & effectibus ex illa consequentibus consistere. Unde postquam loco proximè citato dixisset: [Contrarietas formarum, vel qualitatum invenitur in solis generabilibus, & corruptibilibus: unde sola hujusmodi propriè hoc modo pati possunt; unde anima cum sit incorporea, hoc modo pati non potest, & si etiam aliquid recipiat, non tamen hoc fit per transmutationem à contrario in contrarium: sed per simplicem agentis influxum. Sicut aer illuminatur à sole.] Mox infert, & ita subjungit. [Ignis ergo ille corporeus agens, ut instrumentum Divinæ Iustitiæ, facit aliquid supra virtutem naturæ, scilicet animam detinere, vel ligare &c.] Vbi tamen, sicut etiam in alijs locis citatis, quia S. D. explicite non recenset effectus alligationis ex Cajetano allatos, neque debuisset Adversarius hoc à P. Haunoldo exigere.



F

EX